REV.MI PATRIS MAGISTRI

F. M. LEONI

ORDINIS MIN. CON. THEOLOGI

NECNON

In Patavina Accademia Pubb. Metaph. Profess.

EPISTOLÆ DUÆ

Quarum


Altera est de Pentateuchon divinitus dato

Altera de usu rationis in Theologia.



MACERATÆ MDCCXXXVI.

Typis Hæredum Pannelli Impress. S. Officii
Superiorum Permissu,



Illmo ac Rmo Viro

D. ALEXANDRO

FAROLDO ALBERONO

F. F. A. Gervaſius Min. D. Fran. Con. Theologus.



Uæ expertus ſum, quotidiana fere conſuetudine, ab ingenio tuo, bonarum Artium, ſcientiarumque lumina, quæque publica dediſti, quum primum ex pueris exceſſeris, eruditionis, atque ſolertiæ argumenta; tum etiam quæ, cum adoleveris, in agendis negociis, procurandiſque demandatæ tibi Provinciæ bonis, documenta, quibus Patrui exempla imitatus es tui, Cardinalis omni ex parte Eminentiſſimi: ea inquam, non modo virorum ampliſſimorum eminus ſpectantium admirationem movent, ſed hominum quoque graviſſimorum cominus intuentium, ac familiaritate tua, ſuavita-

teque, & elegantia morum utentium studium trahunt, incredibilemque observantiam. Quapropter cum ego, qui & mentis tuæ celeritatem motuum, & intelligentiæ aciem, & animi moderationem, & indolis nobilitatem, & igniculos virtutum omnium admirari, cunctisque prædicare non desino, voluntatem erga Te meam, & obsequium testatum vellem; neque de meo haberem quicquam in manibus, quo id commode præstare possem, hasce P. M. Francisci Mariæ Leoni, Viri celeberrimi, meique amantissimi, conscriptas ad me Epistolas, instigationeque mea elucubratas, præstantissimo, & eximio Nomine tuo juris publici fieri curavi; ratus ratione hac tum mihi ipsi, qui Tibi sane multum debeo: cum Amico meo, cui tantum Patronum nactus sum, haud mediocriter præstolari, satisque procul dubio opitulari me potuisse. Quod est autem reliquum Te precor atque obtestor, ne munus hoc meum (est namque vetus effatum, ac fertur in primis, inter Amicos omnia debe-

re

re esse comunia) ne munus inquam hoc meum asperneris , atque contemnas ; id plane intelligo frustraneum esse , peneque injuriosum à Te precari , qui eo es Animo , ut quicquid redolere doctrinam accipias , in id incredibili aviditate impelli videaris : quique ea humanitate es , atque benevolentissimo ingenio , ut non ad rem ipsam , sed ad offerentium animum , quemadmodum liberales homines , atque ingenui facere solent , rationem semper habere consueveris . Quare , ut soles cuncta , hæc non secus accipe , Vir Clarissime , qualiacumque ea demum sint , meque etiam , atque etiam , ut facis , ama . Vale .

LE

LECTORI BENEVOLO

F. Franciſcus Antonius Gervaſius.

QUum de univerſa eruditione, ac ſapientia, Amice Lector, Clariſſimi Viri Franciſci Leoni noſtri Ordinis Theologi, atque in Patavino Gymnaſio Primæ Philoſophiæ Profeſſoris, tum ex ipſius meridiationibus jam prælo editis: cum ex ſermonibus invicem habitis, in quibus & Romæ, & Patavii brevi ſemper quidem, at ſuaviſſimo tempore verſati ſumus, non ſemel periculum fecerim; ſi quando difficultates, in quas ſæpe incidere poſſumus, in rem litterariam irreperent, ad eum confugium facere mecum perſæpe animo reputavi. Occaſio autem ſeſe obtulit mihi exſecutioni propoſitum mandandi ampliſſima, non tantum ad intelligentiam meam tenebris obſitam illuſtrandam, verum etiam ad reſiſtendum erratis, quæ ex Ollandiæ Typis longe lateque per Europam vagari ſcimus; præſertimque tractationi *Theologico = Politicæ*, ac libello alteri, cui titulus eſt: *Philoſophia naturæ interpres*; & in his præcipue quæſtionibus illis de divinitate Pentateuchi, ac de uſu rationis in Theologia, quæ ſane diſputationes in primis mirabile dictu eſt quot, ac quanta perverſæ Philoſophiæ ſemina ſuſcitaverint.

Quocum mihi iiſdem de rebus colloquenti

ti venit in mentem eorum impia ostentationis ratio, qui in litteris non multum se profecisse credunt, nisi prius male de humanis legibus, pessime vero de Religione sentiant. Quapropter ne vulgus hic imperitorum hominum stultas, & propemodum perditas Operum eorundem opiniones, ne dixerim aniles fabulas imbiberent, ac tamquam praeclaris praediti ingeniis, rudiori litteratorum plebeculae sese jactarent, ab eo enixe praecatus sum, atque obtestatus, ut nequaquam nefariam hanc pestem grassari pateretur. Vix ea compleveram, cum minime id detractando, retulit ille, se quod optaveram perfecturum libenter, meque voti brevi compotem effecturum. Nihil enim est, quod magis honesti hominis animum, bonisque artibus instructum ad agendum commoveat, quam veritas, maximeque divina falsitatis umbra opacata, ut ea detecta, ac quasi ex profundo quodam loco hausta, luce eidem debita tandem aliquando fruatur. Intoleranter itaque promissa expectanti, propterea quia is sim ego, ita a natura effectus, ut plurimi faciam veritatem, quae quamquam mihi adversaretur, ipsi sane non adversarer, quippe qui eam magis quam meipsum impenso studio, ac charitate flagrantissima prosequar, subjectae hae duae redduntur epistolę; quarum altera alterius Auctoris, altera itidem alterius errores ad trutinam revocati, admirabili quadam ingenii facilitate, ac pro-

pe divina tolluntur e medio, exterminanturque. Ut porro mihi traditæ litteræ ſunt, ſtatim avide legere cœpi, lectas, perlectaſque maturius conſiderare, conſideratas adamuſſim examinare, ac ſi vera fateri velim, ita illæ fecerunt plane ſatis, ut minime mihi temperare potuerim, quin eaſdem ob amicorum oculos ponerem, veritus ne ſtudio, ac neceſſitudine, quæ inter nos eſt, æquus judex eſſem, extimatorque rerum ipſarum. Amici vero, cognitis argumentis graviſſimis, quæ in illis ſunt, circumſteterunt mihi omnes, eruditionem, ingenii acumen, ſtili æquabilitatem, & ſplendorem minime ceſſantes laudare. Ille enim momentum a lege ſumptum extollebat, aſſeverans, ſe nunquam inveniſſe cum cæteris legibus comparatum Decalogum, oſtenſumque etiam Romanorum antiquorum conſultis antecellere. Hic rationem ratiocinationum efferebat in primis, affirmans neminem Jacobæum Oraculum tam minute fuiſſe interpretatum, idemque ad tempora Meſſiæ perduxiſſe; nec præterea vidiſſe hactenus clariſſimam prædictionem Moyſis de Regibus Iſrael; & vix hiſce indicatis, recurrebat ad hujus articuli fundamenta, ac mirabatur non ſine ratione rimatam ſcaturiginem Jordanis, interpretatam vocem Eber, ac novam plane de Judeorum Regno in Egypto opinationem, non modo probabili argumentatione quadam, ſed vehementiſſimis conjecturis confirmatam.
Alius

Alius oculos ad Epiſtolam alteram convertens, quæ bifariam diſpertita eſt, oſtendebat priorem partem ferme inauditam fuiſſe, cum nemo adhuc eos errores e noſtris refutaverit: poſteriorem vero præter argumenta Delii, multa etiam nova continere. Alius commendandum eſſe non mediocriter cenſebat nitorem verborum, atque Orationis perpetuæ elegantiam, inprimiſque rationem agendarum rerum, ut prius ſit hiſtoria ortæ diſputationis narrata, deinde unumquodque argumenti genus PP. SS. confirmatum ſit ſententiis, ac cogitatis illuſtratum ſuis, quod adeo in prætio eidem erat, ut continuo exclamaret: Utinam, & ſcholarum omnium Magiſtri ita facerent, ſane non tam jejuni tamque rudes eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, Conciliorum, ac ſententiarum SS. PP. ex pulvere exirent Juvenes, neque ita vittatis oculis in arenam deſcenderent.

Quibus ſane diu, multumque animadverſis, cum ſinguli ſuaderent, ut inedita iſthęc ederem, ſcripſi ad Auctorem propterea præſtantiſſimum, quid multorum perſuaſione hominum cordatorum, bona ipſius venia facturum me eſſe meditarer. At reſtitit ille diu, & reſtitiſſet adhuc, niſi intellexiſſet quod prohibuerat ipſe mihi, cœteris, quod ego demum monueram, vetare non poſſe, quibus jampridem equidem copiam feceram harum Epiſtolarum. Quapropter invitus, ut ita dicam,

cam, annuit. Atque ego ſtatim ad rem aggreſſus diligentia ſumma, ut perpolitæ Epiſtolæ hæ duæ e prelo exirent curavi. Quantum litteris, & rectæ Philoſophiæ, necnon univerſæ Religioni ita profecerim, ipſe vel per te judicare poteris: quantum vero ipſe mihi qui doctos, moratoſque homines neceſſitudine, & obſervantia colere ſemper conſuevi plurimum, verba hæc Tulii ad Varronem fidem finemque facient: (*a*) *Teneri non potui, quin conjunctionem ſtudiorum, amoriſque noſtri, quo poſſem litterarum genere declararem*. Vale.

(*a*) Exord. Accad. quæs.



A. R.

A. R. P.

FRANCISCO ANTONIO GERVASI

Ord. M. S. F. Con. Theologo necnon Concionatori Eximio

F. FRANCISCUS MARIA LEONI

S. P. D.



Ide quanti apud me ſis. Poſtulas, ut rationem oſtendam, qua ſacras litteras, ac præſertim Pentateuchon ab recentiorum objurgatorum injuria, calumniiſque poſſis vindicare. Difficilem ſanè rem, & aleæ plenam poſtulas. Nam hoc fundamentum religionis noſtræ præclare jactum, firmiterque ſtatutum, tempeſtate quadam hiſce præſertim temporibus quati video: atque illud in primis ſi corruère poſſet (non poteſt autem) cætera rimas agere proculdubio, intelligo. Tamen ſumma illa benevolentia, qua te propter ingenium, ſtudia, moreſque tuos merito proſequor, incitatus, opus aggredior non tam perficiendi ſpe, quam experiundi voluntate. Malo etenim magno cum periculo tibi placere, quam ſine periculo ullo voluntati tuæ nequaquam obſequi.

Quæ-

Quærebas igitur qui fieri possit, ut certum exploratumque habeamus, Pentateuchon nimirum intus movente Deo, & quasi dictante fuisse à Mose exaratum: Atque id potissimum quærebas, ut veritatem Christianæ religionis ab nonnullorum Atheorum impietate turpissimis notis inustam, sartam tectam haberes. Negocium sane preclaro, & præstanti Theologo dignum, quod contra Simonem Magum, Apostatam Julianum, ac Manichæos olim majores nostri, Eusebius præsertim, Ciryllus, multiq; alii procurarunt: Nuperrimi verò adversus cujusque religionis infensissimos hostes Obbesium, Spinozam &c. Viri disertissimi expedire, & conficere sunt conati, Natalis Alexander, Claudius Frassen, Hugo Grotius, Huetius, Abadie &c. ego autem eadem in re tractanda, quoniam mos gerendus est tibi, Auctorum hujusmodi æmulari diligentiam, quantum sciero, poteroque, curabo.

Divinas litteras, præsertimque Pentateuchon, hoc est, ut Hæbraicum nomen significat, volumen quinque librorum intus movente Deo, & quasi dictante fuisse à Mose exaratum.

1. Principio autem id ex eo colligere, fas est, quod antiquissimum esse volumen hoc ex monumentis vetustissimis, omnique exceptione majoribus vel clarissime erui potest. Quod ut præstemus statim, primus veniat in medium Sanchoniathon Berytius antiquissimus

phæ-

phæniciarum rerum ſcriptor, quem ante Trojanum vixiſſe bellum ex Phæniciæ Regum continuata ſerie probari ſcribit Porphyrius, cujuſque opera græca reddidit Phylo Byblius. Is porro teſtatur, Judæorum commentarios ſe ab Jerombalo recepiſſe, quem Jerombalum quidem non alium fuiſſe, niſi Gedeonem ex libro Judicum, ubi Gedeon appellatur Jeroboal nullo negocio depromi poteſt ut Suidas animadvertit ante nos, quamvis in vocis origine deceptus ſit: cum autem audiamus à Gedeone Sanchoniathonem Judæorum libros habuiſſe; an non intelligimus commentarios illos Pentateuchon fuiſſe? Eſt igitur vetuſtiſſimum Pentateuchon, ſacrumque ab illis uſque temporibus habitum à Judeis.

2. Scio autem Scaligerum, & Senieur, nonnulloſque alios multa commentos eſſe de Sanchoniathone, quibus Porphyrium, Euſebium, Cyrillum, Theodoretum opponimus; nam quando ajunt Jerombalum teſte eodem Sanchoniathone fuiſſe ſacerdotem, minime vero Gedeonem, nos Gedeonem ſacra peregiſſe colligimus ex libro Judicum, ac ſacra peragere licitum fuiſſe Ducibus exercitus ſatis liquido conſtat ex Moſe, & Joſue, qui ætate hunc præceſſerant, quamvis vox, qua utitur Sanchoniathon ad hoc exprimendum, non tam Sacerdotem ſignificet lingua phænicia, quam principem, ut advertit optime Bochartus.

3. Sed Sanchoniathonem Homerus ſequun-

quantur, & Hesiodus, quorum scriptis nihil Græci vetustius habent: nam quæ tribuuntur Orphæo carmina, non esse Pysistrati tempestate antiquiora, eruditi fatentur fere omnes: quos sane Auctores apud Grajos Theogonias scripsisse Deorum primos, testatur Herodotus: Quotus autem quisque est, qui poesim utriusque legerit, & statim apertum illi non fuerit, compertumque, hujusmodi auctores Moysis Pentateuchon perlegisse? Certe quod de Deorum peregrinatione canit Homerus, ut sexcenta omittamus, non aliunde sumpsit, quam ex narratione illa, qua in Genesi refertur, tres Angelos ab Abrahamo in hospitium fuisse receptos: illudque alterum Hesiodi, fuisse hominem ex luto, veluti ex materie formatum, non aliunde haustum videtur, quam ex hominis procreatione à Mose relata. Prodiit autem ab hinc paucis annis liber, in quo Homeri, Hesiodique loquendi formulæ cum Pentateuchi sermone comparantur, atque huic simillimmæ omnino ostenduntur, quem si consulas, Mosaicis rivulis hortulos suos, hujusmodi homines irrigasse, comperies.

II. Verum ut missos faciamus Thaletem, Pythagoram, Licurgum, omnesque alios, quibus notum fuisse Pentateuchon ferunt plurimi, licet dubiis, aut non satis exploratis fundamentis innixi, & ut non copiam, sed modum hac in re, qua de agimus, consectemur: existimamus cum Huetio ex omnibus

mo-

monumentis, quæ ex ruderibus antiquitatis depromi queunt, vix aliud reperiri validius posse, quam quod ex Samaritani Pentateuchi vetustate, & auctoritate deductum est. Temporibus quippe Jeroboami, qui primus Samaritanæ gentis Rex fuit, quique vixit Roboamo in Juda regnante, hoc est anno mundi circiter 3029. ante Edificationem Cartaginis circiter novem annos, novemque annos ante Ifitis æram, unde initium duxisse ferunt veram Olympiadum Epocham 29. circiter annos post ædificatum Templum à Salomone, 199. annos ante vulgarem æram Olympiadum, 971. annos ante æram Christi juxta illorum sententiam, qui illam inceptam faciunt anno mundi 4000. (sequimur in hac re Chronichon m. s. quod extat in Bibliotheca nostra Patavina) Temporibus, inquam, Jeroboami, cujus regnum 254. annorum fuisse creditur, divisio inter Judeos facta, partimque ad Jeroboami partes, partim vero ad Roboami factionem accessere. Illi, ab Samaria Civitate in Montis Semer fastigio collocata, Samaritani: hi vero antiquo nomine Israelitæ vocati sunt. Mirum autem est animadvertere quam implacabile dissidium, quamve intestinum odium hos inter Judeos exarserit, quibusque modis utriusque partis divisores inexorabilem iracundiam nutriverint. Esdras Hyerosolimitanis favens famosas, contaminatasque Samaritanorum civitates haberi jussit. Contra Sa-

maritani Garizim Templum moliti sunt prohibentes, vetantesque, ne ex suis unus quidem Israelitarum Templum peteret. Hoc itaque capitale odio vigente deprehendi licet illorum Pentateuchon judaico caractere exaratum, quem ex Assiriis habuisse, ajunt; horum vero Samaritanis litteris scriptum, quas suppeditasse illis Cananea, dicunt, tanta inter se consensione utriusque gentis convenire, ut merito affirmare possimus Samaritanos, & Israelitas, volumen hoc, ceu divinum omni tempore respexisse. Quis est autem, qui inficiari valeat religionem perpetuam integræ nationis armis, ac litteris florentissimæ?

2. Quod certe vel maxime ex eo confirmamus, quod Judæi integrum, inviolatumque Pentateuchon servarunt, tum quoque, cum in Mesopotamia servi fuerunt, quæ servitus fuit annorum octo; tum in servitute Moabitarum, quæ 18. annorum fuit; tum in illa Cananeorum, quæ annos viginti comprehensa est; tum in illa Madianitarum, in qua septem annos permansere; tum in illa Ammonitarum, quæ ad annis 18. perducta est; tum denique in illa Phylysteorum longissima, quæ 40. annos complectitur: sed non modo in narratis hisce mancipiis Judei incorruptos Pentateuchi Libros servarunt, verum, & post relatam divisionem illam Israelitæ cum servi in Media fuerunt per annos 70.; vel 53., ut aliis placet; Samaritani 141.

an-

annos ante servitutem Sedeciæ Regis Judæ, cum in Assyria in mancipium fuere inviolatè custodierunt. Ex quibus duo colligimus alterum, quo religio Judæorum in Pentateuchon apparet; alterum, quo ob oculos ponitur peculiaris providentia quædam, qua sane factum est, ut inviolati fuerint hujusmodi libri asservati à Judæis temporibus illis, quibus propter crebras, quasique diuturnas servitutes ipsi Judæi fere universi nativæ linguœ fuerant obliti.

3. Non ignoramus autem Eusebium, Diodorum, Hieronymum, Cyrillum, Procopium varias lectiones edidisse in Samaritanum textum: sed cum interprete Simone dicimus egregios, quos nominavimus viros id quidem egisse non in textum Samaritanum, sed in græcam versionem Samaritani textus, quem sane textum Samaritanum omnino congruere, & consentire cum textu hæbraico laudati Patres in primis affirmant; ac si Polyglotas consulimus, nobis quoque proculdubio constabit, adeo ut id sane maximo argumento esse possit ad divinitatem, ut ita dicam, Pentateuchi ostendendam.

III. Verum à rationibus extrinsecus petitis, quasi ab extimis principiis, & adventitiis, ad intima descendamus, & intestina momenta, quæ ab pura doctrina, a miraculis, ac tandem à vaticiniis deprompta sunt. Igitur ut ab facilioribus exordiamur, veniant

principio divinæ leges in medium, quas à Deo recepifse profeffus eft Mofes, quafque legimus defcriptas in libro Exodi. Quotus autem quifque eft, qui ignoret mandata illa, quæ Decalogo comprehenfa funt ejufmodi effe, ut non aliunde ortum duxiffe, quam à Divina mente, confiteri, neceffe fit? Nam duo leges præftant, vel enim in cultum Dei cædunt, procurandamque religionem, vel ad focietatem tuendam, moderandumque hominis ingenium *à labore proclive ad lubidinem* funt inftitutæ: porro Decalogus utrumque facit. Priora quippe tria mandata pertinent ad Deum, fpectant ad homines pofteriora feptem; illis rerum omnium auctorem præcipitur colere unum, venerarique; ut, quoniam timendum eft nomen ejus, inanibus verbis jactare illud, aut execrare fit nefas, ut dies, quas fibi dicavit (ex naturæ lege, qua gratos effe in eum, qui benefecit, impellimur) non minus colere debeamus; quas leges quidem fancitas ab Idololatris quoque, compertum eft. Quoniam *nulla natio tam efferata eft*, *quæ fi Deos habeat fuos*, illos folemnitate, atque facris rebus non veneretur. Porro autem propterea quia poft D. O. M. Parentes locum tenent, unde religionem in Deum, atque obfequium in parentes uno, eodemque pietatis nomine appellavere Romani, nobis poft rerum divinarum cultum, in majores noftros præcipitur obfervantia, ut lu-
ce

ce fruamur, qua vivimus, qua quidem indignus est, qui in parentes est impius: propter quam rem peculiari supplicio apud Romanos plectebatur, qui parricida erat; eum etenim corio involvebant, vinciebantque, dein eiiciebant in flumen, proptereaque ibi inclusus homo mortem subibat igne, aere, aqua, ac terra orbatus, ut intelligerent homines, quoniam qui parricida est, contra naturam facit, ita sine naturæ adjumento, ac quasi contra naturam puniendum esse. Verum sequuntur alia, quibus jus exercere in alterum vetitum est; enim vero interimi homo non potest, nisi in sui defensione id fiat, quod tamen præscriptis suis cautum est, si jus non sit ullum datum illi, qui interimit. Siquidem interimere subditos non possent Reges, nisi cum à Deo erecti fuere ad hominum regimen, sibi non intelligerent gladii jus ad societatem, æquitatemque tuendam fuisse tributum. Quid est autem, quod magis contra naturæ præscripta reclamet, quam mæchum facere? id enim familias perturbat, quoniamque mulier ad jus transiit viri illius, cui nupta est, qui mæchum facit jus viri illius constitutum deturbat, atque ea ratione agit, ut filii, qui sunt, spolientur re sua, qui autem spurii sunt, re potiantur, fruanturque non sua. Præterea hic vetitum fuit etiam damnatæ Veneris crimen omne, quæ crimina præter jurgii caussam, quam semper inferre consueverunt, mirabi-

rabile dictu eſt, quam apta ſint ad evertendam ſocietatem. Id & de furto verum eſt, cum ad commode vitam tranſigendam rem alteri furatur quiſpiam. Qui vero, quæ falſa ſunt, teſtatur, Deum invocans, an non facit Deum Auctorem mendacii? ſcilicet quæ fraude fiunt, in alterius damnum cædunt, nulla autem major fraus, quam quæ divinas res in ſui teſtimonium trahit. Sed ſi peccatur opere, certe, & deſiderio peccari neceſſe eſt, non modo quod qui deſiderat ſeſe in alea ponit, verum quia ſecum reputat veluti facta, aut animo efficiendi parato, quæ infecta eſſe debere humanum lumen oſtendit. Igitur cautum eſt duobus poſtremis mandatis, ne id capiamus, quod contrarium eſt naturæ præſcriptis, quod habere, fas non eſſe, ipſi cognoſcimus. Ad cæteras autem leges, quod attinet, quas in Levitico, & Deuteronomio, cæteriſque libris legere eſt, ajo, eas nihil preſeferre aliud, quam explanationes, explicationeſque in Decalogum. Quibus ita conſtitutis, quænam lex humana, quæſo, eſt, quæ ſi cum divina comparetur, impura non appareat, & inquinata; ſive illa poſt Moſaicam legem, ſive antea lata ſit? Certe quæ ante Moſem fuere leges, quæque poſt, idololatriam non interdixère. Nonnullas porro furtum ſcimus dimiſiſſe ſuis, ut Lacedemoniæ Licurgi; nonnullæ levia ſectatæ ſunt, ut Solonis illa, qua præceptum eſt, canem, qui ho-

hominem momorderit quatuor cubitorum catena ligari. Scimus autem Athænienſibus licitum fuiſſe filiorum internecionem, quod & Romanorum leges conceſſere ſuis. Scimus liberum fuiſſe Perſis olim Matres in uxores ducere, apud Gelos licuiſſe mæchari; apud Parthos innuptas filias, & ſorores occidere. Quid multa commemoro? Polygamiam, ut modo eſt apud Alcorani ſectatores, fuiſſe in more poſitam apud Arabes antiquiſſimos, certiſſimum eſt. Quid porro, quæ ante Moſem latæ ſunt, ſi tamen leges ante Moſem fuerunt ullæ? Nam teſtatur Juſtinus principio rerum arbitria Principum pro legibus fuiſſe, teſtanturque impia, crudeliaque Ægyptiorum facta, immanes fuiſſe leges eorum. Illud tamen unum certiſſimum eſt, præſcripta Gentilium univerſa non ita vere, ac commode turpia, & honeſta diſtinxiſſe, ut Moſaicæ leges fecère. Quæ cum ita ſint, quis inficias iverit, leges Pentateuchi divinas eſſe, proindeque divinam ejuſdem doctrinam omnem, qua conſtat volumen illud? Num Moſem doctiſſimum omnium fuiſſe, prudentiſſimumque dicemus? Sed à quibus hanc ſolertem peritiam rerum ipſe didicit? Certe ſi plus ſapiunt multi, quam unus, ut in proverbio eſt, Romanorum leges, quæ ex collatione multarum legum, & ex prudentia hominum multorum confectæ ſunt, longe præſtare debent præſcriptis Moſaicis. Quod falſum cum ſit, fateamur, tan-

dem aliquando, necesse est, hæc Mosem non aliunde, quam ab divino fonte, hausisse.

IV. Quid? quod ad tuendas leges, gentemque defendendam Deus suam, plurima scimus edidisse miracula, ac virtutem dedisse Mosi ea agendi, quæ supra naturam sunt. Dedisset ne divinum Numen impio homini hanc facultatem? Quis autem impius magis, quam qui fratres fefellerit? Igitur non fefellit Judæos Moses, si portenta patravit, quæ sane fecisse multa, testantur extranei, quos in medium afferre malo, quam nostros, ne impudentes ut proverbio dicitur videamur fraudasse prudentes. Artapanus itaque in suo de Judæis opere narrat, *Mosem Ægyptio Regi orbis universi moderatoris nomine, ac jussu nunciasse, ut Judæos liberos, securosque dimitteret: Præterea cum Rex à Moyse prodigium aliquod expeteret, eam, quam manu virgam tenebat in serpentem subito convertisse, omnibusque stupentibus arrepta cauda priorem ei rursus virgæ formam reddidisse*. Paulo post: *Nilum eadem virga percussum intumescentibus undis Ægyptum universam proluisse, ex eoque tempore statis deinceps vicibus in agros se Nilum effudisse. Mox collectas, & stagnantes passim aquas efferbuisse, nec piscibus modo interitum, sed exitialem quoque hominibus sitim attulisse &c.* Deinde narrat, jussisse Sacerdotibus suis Regem, ut similia agerent, idque aliqua eos ratione præstasse, *sed Mosem*, scribit, *alia pleraque ædidisse miracula, ac pessime vexasse Ægyptios, adeo ut Rex tot malis,*

lis, cladibusque fractus Judæos, sero licet, aliquando tamen dimiserit. Exeuntes itaque ex Ægypto Judæi magnis itineribus, cum ad rubrum mare pervenissent, neque traiicere possent (*pergit Artapanus*) *Mosem, ut mare virga percuteret, divinitus admonitum, aquam virga tetigisse, ac discedentibus illico fluctibus copias sicco tramite deduxisse: eamdem porro viam tentantibus, ac fugientium terga prementibus Ægyptiis, cum adversum repente ignem coruscasse, tum ipsum quoque mare patentem semitam refluentibus undis obruisse; itaque partim igne, partim æstu maritimo Ægyptios ad unum omnes periisse.* Quod quidem Artapani testimonium coroborari potest testimonio Manethonis, Numenii philosophi, aliorumque quos Josephus commemorat libro primo contra Apionem.

At morosi nonnulli disputatores id natura duce factum ajunt, quoniam Moses totius regionis scientissimus, observato reciprocantis æstus tempore, sicco mari universam multitudinem transmisisse, quod & in mari Pamphylio fecisse Alexandrum, Strabo asseverat.

Verum id Artapanus idem refert olim dixisse Memphytas, quibus tamen egregius Auctor Heliopolitanos opponit, qui propius mare Judæos traycientes intuiti sunt. Et sane si Moses peritus marini æstus fuit; an existimamus propterea Ægyptios homines meatus maris, commeatusque ignorasse, præsertim cum peritissimi scientiarum omnium habiti

 semper,

ſemper fuerint Ægyptii, ac Geometriam, & Aſtronomiam primi coluiſſe dicantur. Sed neque ita decreſcere æſtu ſuo mare potuit, ut ſpatium ſuppeditaret ſiccum transfretandi ingentem exercitum: neque Ægyptii ita cæci fingi poſſunt, ut, etſi maritimi æſtus ignariſſimi, haud noviſſent, mare poſt tranſitum Judæorum fluxu creſcere repentino. Ad Alexandrum vero, quod attinet, refert Strabo Pamphylium mare tranſiſſe, non ſicco tramite, ſed id natante quodam ſcopulo feciſſe, ac milites non ſemel demerſos ad umbelicu-lum, quaſique ſubmerſos fuiſſe.

At non hæc tantummodo Moſis fuere prodigia, plurima quippe miracula, & in deſerto edidit, quæ omnia veriſſima fuiſſe nemo unus, & ſi rigidus veritatis aſſertor, negabit, qui adverterit ſcripſiſſe illa in Pentateuchon Hæbreorum Ducem adhuc vitam degentibus iis, in quorum conſpectu facta fuerant. Ecquis enim vero non videat fieri nequaquam poſſe, ut unus homo ſexcentis hominum mille vidiſſe ſuadeat, quæ viderant numquam, cum uni refragari omnes poſſent, atque ejuſmodi eſſent Judæi, ut quemadmodum de interimendo Moſe aliquando cogitarunt, ita, ſe non crediſiſſe verbis ducis ſui, publicis etiam monumentis teſtati eſſent? Quod cum factum non ſit, vera eſſe, quæ referuntur in ſcriptura univerſa fateamur oportet, ac Moſem, cui data eſt virtus patrandi

trandi miracula, vera ſcripſiſſe, proindeque Pentateuchi volumen divinitus datum eſſe, ut ipſum quoque præſefert.

V. Quoniam vero aliud ſupereſt probationis genus ex vaticinationibus depromptum, conſilium eſt ea perſequi modo, ut oſtendentes vaticinationes contineri plurimas in Pentateucho, illud divinitus ſcriptum eſſe demonſtremus; non enim fieri poteſt, ut homo futura prænoſcat, atque illa ſine hæſitatione prorſus ulla prædicat; quod ſi eventum prædixit Moſes, certiſſimum eſt divino ſpiritu egiſſe, eodemque ſpiritu illa exaraſſe omnia, quæ libris compræhenduntur Pentateuchi. Porro autem ordine ſuo id acturi, neceſſe habemus prius ætatem, qua vixerit Moſes indicare, deinde contra Hobbeſium, & Spinozam hujus voluminis Judæorum Ducem auctorem, ſcriptoremque fuiſſe, oſtendere, ut inde divinos libros hujuſmodi eſſe, vel meridiana luce clarius colligamus.

2. Triplex autem circa tempeſtatem, qua Moſes floruerit eſt nobiliſſimorum auctorum ſententia. Porphyrius etenim temporibus Semiramidis vixiſſe putat, cui ſuffragatur Huetius: ſecundam ſententiam tradunt Affricanus, Tatianus, Clemens Alexandrinus, qui ſane Inachi ætate florentem faciunt: poſtremam defendit Euſebius, qui, regnante apud Athenienſes Cecrope, Moſem vixiſſe, ac floruiſſe dicit, quam opinionem quidem diligentiſſime

tiſſime illuſtrarunt Chronologi noſtrorum temporum magni, atque nobiles Scaliger, & Petavius. Nos hac in re decernentes prorſus nihil, ut cum adverſariis noſtris vel liberaliſſime agamus, eam ſequemur ſententiam, quę antiquum minus, quam cæteræ, Moſem facit. Arbitrantes autem juxta Chronologos illos, qui temporum doctrinam ſine involucris verborum tractant regnaſſe Semiramidem, ab anno circiter mundi 2792. ad annum 2843. Inachum vero, qui apud Græcos Ogigis etiam nomine celebratur ab anno 2148. ad annum 2198. Cecropem denique ab anno 2448. ad annum 2498. Semiramidis ætate cum Porphyrio, qui minus vetuſtum facit, vixiſſe Moſem ſine opinionum examine dicemus; id ſiquidem modo damus, non quod nos ſentiamus ita, ſed ut, hoc etiam dato, hallucinari vel maxime Adverſarios demonſtremus. Vixiſſe itaque Hæbræorum Ducem anno mundi 2792. ſine aſſeveratione, ponamus.

3. Hunc, quæſo, Moſem Pentateuchon ſcripſiſse demonſtremus, atque id in primis ex teſtimonio Gentium. Siquidem Manethos Sebennyta apud Joſephum, Philocorus Athenienſis, qui Ptholomæi Philopatoris temporibus floruit, Polemon, qui Ptholomæi Epiphanis tempeſtate Græcorum ſcripſit hyſtoriam, Eupolemus ab Alexandro Polyhiſtore laudatus, ac vir elegantiſſimus, Demetrius Phaleræus, quorum fragmenta apud Euſebium non

nonnulla extant, innumerique alii volumen hoc Pentateuchi, vel Mosaicum appellant, vel à Mose scriptum ajunt, vel tamquam opus Mosis laudant. Quapropter si antiquissimos libros non alia de causa auctoribus suis adscribimus, nisi quod accepta à majoribus traditio ita fert: non video, cur non sit idem dicendum de Mosaicis libris, præsertim cum id Critici doceant ad unum omnes. Verum cum veritati huic, qui obtrectantur non ex Gentilium testimoniis, sed ex sacrarum litterarum verbis errori suo fidem facere conentur, placet nobis ex eodem veluti armamentario ad eosdem jugulandos arma depromere.

4. Legimus itaque Exodi 24. cap. *Scripsisse Mosem universos sermones Domini*. Deindixisse illi Deum, *Scribe tibi verba hæc, quibus, & tecum, & cum Israel pepigi fædus:* & in Deuteronomio: *Scripsit itaque Moyses legem hanc, & tradidit eam Sacerdotibus filiis Levi, qui portabant Arcam fæderis Domini, & cunctis senioribus Israel*; rursusque Exodi 17., & 24. de victoria contra Amalech dixit Moysi Deus: *Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade auribus Josue:* item in Deuteronomio, iterum, postquam scripsit Moyses verba legis hujus in volumine, atque complevit, præcepit Levitis, qui portabant Arcam fæderis Domini dicens: *Tollite librum istum, & ponite eum in latere Arcæ fæderis Domini Dei vestri, ut sit ibi contra te in testimonium.*

5. Por-

5. Porro cæteri quoque divini libri id nobis testatum faciunt. Baruch in primis, qui loquitur in hæc verba: *Sicut locutus es in manu pueri tui Moysis in die, qua præcepisti ei scribere legem tuam &c.* Itemque scimus ex primo libro Paralipomenon *Helciam Pontificem, cum templi tecta instaurarentur, librum legis Domini invenisse per manum Moysis scriptum:* tandem apud Joannem legimus Christum ita Judeos fuisse olim alloquutum: *Est qui accusat Moysem, in quo vos speratis: si enim credideritis Moysi, forsitan crederetis mihi &c.* unde Philippus dixit ad Natanael: *Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetis invenimus Jesum filium Joseph à Nazareth*. Mittimus innumeros alios textus, qui afferri solent ab aliis, non quod copia aliquando non delectemur, sed quod gaudemus magis perspicuitate;, illi quippe non tam scriptorem, quam auctorem Pentateuchi Moysem faciunt: hi vero vel clarissime præstant utrumque.

Necesse autem habeo animadvertere hujusmodi textus intelligendos, explanandosque esse de libris Pentateuchi universis, non autem de capitibus Deuteronomii quibusdam, quæ legem omnem comprehendere viderentur, ut perperam facit Spinoza. Nam tritum est vetustate proverbium apud Criticæ artis peritos nihil omnino excipi, ubi distinguitur nihil, quod axioma ex Juris Prudentum schola illi duxère, sępiusque usurpavit Divus Bernardus; non distinguuntur autem hìc summa

ma hæc præceptorum capita, ad quæ cætera revocentur, igitur indiſcriminatim cum loquantur divinæ litteræ Pentateuchon comprehendant univerſum opportet. Quod & Judæorum traditio confirmat; Judæis quippe numquam in mentem venit libros hoſce alteri tribuere, quam Moſi: (præter Haben Eſdra, qui dubius rem in medio reliquit) quis autem eſt, qui vetuſtiſſimæ traditioni audeat refragari, præſertim, cum non alia de cauſa libros, qui Platonis, Ariſtotelis, Varronis, Ciceronis nomine circumferuntur, vere ſuorum auctorum, ut ait Auguſtinus, eſſe credamus? Verum quidem eſt Joſue deſcripſiſſe in Ara Habolitana Deuteronomion Legis Domini ſuper lapides, ex quorum compage Ara illa erat conflata: videntur autem ſolum ſumma capita in illis fuiſſe inſculpta, idque multi ex noſtris defendunt: nos autem arbitramur fuiſſe in eis exaratam univerſam legem Domini, quam commode quidem capere poterant, tum quia lapides iſti duodecim numero erant, ut Judæi tradunt, atque tanta magnitudine, ut longum, atque latum Altare componere poſſent; tum etiam quia hæbraicæ linguæ vocabula paucis multa comprehendunt. Quod ſi præterea id falſum eſſe Spinoza contendat, rationem quæſo in medium afferat; Accuſatoris etenim eſt probare, & oſtendere, ut Dialectici docent, noſque inter cætera teſtimonia certiſſimum illud ſeptuagin-

ta

ta Interpretum ſequimur, qui ad unum omnes non alteri, quam Moſi Pentateuchon adſcribunt, quodque omni tempore Synagoga univerſa teſtata eſt.

VI. Qui Pentateuchon à Moſe ſcriptum nolunt, his ferme utuntur rationibus, ac primo quidem ita inquiunt. Quoties Moſes egregia facinora narrat ſua, ſimili loquendi utitur ratione: *Dixi vobis: dixit Dominus ad me &c.* Porro Pentateuchon ſcriptor hunc ſermonem certe non adhibet, ſed de Moſe loquitur, ceu de aliena perſona: ait enim: *Deus cum Moſe loquutus eſt. Deus loquebatur facie ad faciem. Iratuſque eſt Moyſes Principibus exercitus &c.* Immo auctor ille quiſquis eſt perſæpe Moſem noſtrum ingenti laudatione proſequitur. *Erat Moſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines. Non ſurrexit ultra Propheta in Iſrael, ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem*; ideoque teſtatur hæc eſſe verba, quæ loquutus eſt Moyſes ad omnem Iſrael trans Jordanem, atque Jordanem tranſiiſſe numquam Moſem, certum eſt: dicamus igitur oportet hujuſmodi libros alium à Moſe auctorem, ſcriptoremque habuiſſe.

3. Præterea Geneſis auctor cum narrat Kanahanitarum terram Abrahamum luſtraſſe, addit præterea: *Kanahanita tunc temporis erat in illa terra*, quæ verba ſignificant Kanahanitam in illa terra non fuiſſe, cum hæc deſcriberetur hyſtoria; tempore autem Moſis nondum

dum plaga illa pulsi Kanahanitæ fuerant: quid igitur ex his concludemus, nisi Mosem Genesim non scripsisse? Quod sane confirmatum ex eo volunt, quod Abraham *Reges illos qui captivum ducebant fratrem suum Loth, prosequutus est usque ad Dan*, quod nomen certe urbs hæc, nisi post mortem Josue minime nacta est: ita legimus *montem Morya in Genesi montem Dominus videbit* appellatum: scimus autem hanc non habuisse appellationem, nisi post ædificatum templum: itemque Civitatem *Cariath Arbe, Hebron vocatam*, quamvis nomen hoc ab Calebi nepote diu post Mosis mortem habuerit: denique legimus *Regum illorum nomina, qui regnaverunt in terra Edom antequam Regem haberent Filii Israel*, quæ cum non acciderint, nisi post mortem Mosis, auctorem inquiunt Pentateuchi esse Mosem herculè negant.

4. Rursus Exodi habemus: *Filios Israel comedisse manna quadraginta annis, donec venerunt in terram habitabilem &c.* sed tunc Moses non erat, cum ad terram pervenère illam, ut Josue videre est; imo neque erat Moses cum *in Rabbath lectum ferreum viderunt Og Regis Basan de stirpe Gigantum*, quoniam supervacaneum fuisset, velle ex eo proceritatem Regis colligere, aut ostendere illis, qui cum Ogo ipso pugnaverant, ac viderant eum mortuum, prostratumque: quæ si vera sunt Pentateuchon sane alium à Mose sibi scriptorem vindicare necesse est. De-

Denique extra omnem dubitationis aleam positum est, librum *bellorum Domini*, ac volumen *Fœderis*, inter rudera antiquitatis jacuisse: scimus porro *mandasse Deum Moisi*, *ut victoriam in Amalecitas scriberet ob monumentum in libro*, neque eam in Pentateucho narratam invenire est: deindeque scimus scripsisse Mosem librum *Fæderis*, qui non est unus, aut alter Pentateuchi liber. Quid igitur prohibet, quominus asseverare possimus librum *Bellorum Domini*, quem laudatum legimus numero 20. fuisse illum, qui bellum in Amalecitas præliumque narrabat; alterum vero *Fęderis* illum fuisse, quem coram populo legit Dux, cum primum Fædus cum Deo inierunt Judęi; neque præter istos, alios scripsisse Mosem libros, proindeque Pentateuchon sibi scriptorem à Mose diversum adsciscere? Certe cum postremo cap. Deuteronomii graphice descriptam mortem, & sepulcrum Moysis legamus, fuisse librum hunc saltem, post Mosis ultimum fatum scriptum, exaratumque fatamur, inquiunt, tandem aliquando, necesse est.

VII. Nihil autem operosum est hisce cavillis, cincinnisque sententiam nostram liberare. Non enim Moyses, cum facinora egregia narrat sua, his utitur loquendi rationibus: *Dixi vobis*, *dixit Dominus ad me &c.* sed cum præcipit, cum jubet, vel cum rationem divinorum mandatorum exponit: cum autem quædam præclare facta de se testatur

Hysto-

Hystoricus, tunc ait, ac si de aliena persona loqueretur, ne laus in ore suo, ut in proverbio est, sordescere videatur; quod quidem, non unus præstitit Moses, sed tum Julius Cæsar in commentariis suis, cum Flavius in libro de Judeorum bello, itemquè Paullus in Epist., imitati sunt. Quod autem dixerit hæc se loquutum esse ad omnem Israel trans Jordanem: id, ajunt nonnulli, errore factum illius, qui ex Hæbraico Pentateuchon vertit in latinum sermonem, quoniam judaicum vocabulum *Eber*, quod tam *cis* significat, quam *Trans* proprieque *Circa*, ut Pagninus, & Buxtorfius testantur, vertit *Trans*. Sed nos id arbitramur factum jure optimo, non autem errore, propterea quia hujusmodi libri legendi cum essent septimo vertente anno, quo recurrebat dies solemnis tabernaculorum ab Judæis Trans Jordanem extantibus, hac dicendi forma intelligebant Volumen scriptum fuisse, antequam Judæi transirent Jordanem cis flumen, postquam transiverant trans flumen: videmus enim ibi adeo clare locum, quo scriptum sit indicatum, hoc est *in solitudine campestri, contra mare rubrum inter Pheran, & Thophel, & Labam, & Aseroth ubi auri est plurimum, undecim diebus de Oreb per viam Montis Seir, usque ad Cades Barne*: ut jure extimare possimus Mosem commemorasse hæc apposite ad suspicionem, difficultatemque plagæ, in qua scripserit omnem tollendam.

Ita cum ajunt, ac narrant divinæ litteræ Abrahamum usque ad Sichen venisse, ibique tum Kanahanæum commorasse, quis non videat verbis illis Mosem indicare voluisse hominum genus, quocum commoratus est Abraham postquam exiit de terra sua, deque sua cognatione? Quod si hoc commemorare futile putat Spinoza, quod Moysis tempestate adhuc non fuerant Kanahanæi ex illa pulsi regione, id nos necessario factum putamus, ut Judæi intelligerent à quo tempore, ac quamdiu Kanahanei terram illam occupaverint. Cum autem opponunt *Dan* nomine vocatam non fuisse Civitatem illam, ad quam usque Abraham Reges insequutus est, qui captivum ducebant fratrem ejus Loth, nisi postquam illam expugnarunt sexcenti Viri de Tribu Dan, quod multo post contigit, quam Moses mortuus est. Nos multiplicem responsionem cum veterum, tum recentiorum Interpretum omittentes, quarum nonnulli putant, non *Dan*, sed *Danna* legendum, alii duplicem regionem *Dannitarum* distinguunt: nos inquam, sine hæsitatione ulla affirmare non dubitamus nomen *Dan* non esse Civitatis, aut plagæ, quæ nomen recepit à Tribu *Dan*, sed antiquissimum esse Rivuli cujusdam nomen, qui cum *Jor* altero rivulo Jordanem fluvium componunt, ut ante nos animadverterunt Sanctus Hieronymus, ac Philostorgius, & nuperrime Huetius. Non enim poterant Reges isti in regionem suam remeare sine

ne vel fluminis, vel rivuli tranſitu, neque vallis ſilveſtris, ubi Reges Ponti inter, ac Sodomorum Reges prælium commiſſum eſt, tam longe ab Jordanis diſtat ſcaturigine; ut eos minime adoriri Abraham potuerit, ac nocte perſequi illos ad rivulum Dan uſque, & ad Nobe Civitatem, quæ ad lævam Damaſci collocata cum fuerit, parum ab Jordanis fonte diſtaverit, neceſſe eſt. Nemo autem eſt, qui Terræ Sanctæ Topographiam luſtraverit, qui ignorare poſſit domicilium Abrahæ ab rivulo Dan diſtaſſe ſpatio tantummodo viginti circiter mille paſſuum, quod ſane iter ſex horarum tempore comode conficitur, ut mirum ſit virum alioqui doctiſſimum Claudium Fraſſen hæc non vidiſſe, ſed difficultate fractum id de *Danna* dictum voluiſse, quæ certe, neque tam propinqua eſt rivulo, neque ad lævam poſita Damaſci, ut jure optimo dicere poſſimus, quod Fraſſen hac de re tradit, purum commentum redolere, putumque. Quod autem artinet ad montem Morya, ajo, Abraham appellaſse locum hunc hoc nomine *Dominus videbit*, ſervatumque cognomen illud in ſola Abrahæ familia, quamvis fortaſse nomine ſuo appellatus ſit ab incolis regionis illius, qui ex familia Abrahæ non erant, quod nomen tandem amiſit omnino, quando templi molitioni ordinatus, deſtinatuſque eſt. Verum non ita in Hebron Civitatis nomine contigit, quæ ſane non à Calebi nepote nomen hoc nacta eſt! ſed cum anti-

tiquiſſima fuerit, ita vetuſtis etiam temporibus appellatam credimus, atque ab illa nepotem Calebi nominatum fuiſse potius arbitramur; fuit enim ædificata ſeptem annos ante Tanim Urbem Ægypti: igitur antiquiſſima. Calebi vero nepotes cœteri non dederunt, ſed acceperunt nomen à Civitatibus, quibus fuerat Patruus potitus, cur itaque id pariter de Urbe Hebron non dicimus? ſed de Regibus illis, qui regnaverunt in Ædon, antequam filii Iſrael Reges haberent, ajo e familia Eſau fuiſſe Reges (inter quos fortaſſe fuit etiam Job) quoniam Eſau Patrem Idumæorum appellatum legimus non alia de cauſa, niſi quia filii, nepoteſque illius terræ Edon imperium habuerunt, prętiaque commiſere multa cum Finitimis, ac regno potiti ſunt; quod factum eſſe, antequam David vinceret Idumæos, non video cur ſit negandum: præſertim cum Judæi antequam terram promiſſionis ingrederentur, Reges habuerint ſuos, ut ſuo loco declarabo.

Quod vero addunt comediſſe ſcilicet filios Iſrael Manna, antequam venirent in terram habitabilem, id explicant multi expreſſum de more vaticinantis, veluti ſi jampridem eveniſſet. Bene eſt. Placet nihilominus nobis ita reſpondere, cum nimirum Judæi ante Moſis mortem potiti eſſent parte illa Chanahaneæ, quæ eſt trans Jordanem, ubi cum Moſe vitam duxerunt, expugnatis extermi-

natiſ-

natisque Regulis plagæ illius, ac vesci cœperint fructibus regionis fæcundissimæ, fortasse tum manna cessavit; nam tempus, quo cessavit in sacris litteris indicatum non vidimus. Igitur pluvia hæc salubris destitit antequam Judæorum Dux extremum fatum subiret. Non enim ætas quadraginta annorum, qua pluvia hæc perduravit obstare videtur; quippe cum Moses octoginta annorum esset, quando ex Egypti Regno evasit, quando autem mortuus est, cum centum, & duodeviginti annorum ætatem ageret, potuit fortasse paullo ante mortem, non amplius manna suismet oculis intueri. Itemque cum legimus Ogum Regem ab Judæis prostratum, deindeque lectum ejus indicatum, id factum esse propter illos intelligendum est, qui Ogum forte non viderant. Ecquis enim vero non cognoscat multos procul ab hoc fuisse prælio, senes nimirum, pueros, fęminasque? Immo cum Moses scriptis suis consulere posteritati debuerit, proculdubio intelligimus indicare debuisse cubile, quod in Rabbath diu servatum est, ut ex eo colligere posteri possent omnino, insolentem Regis hujus proceritatem, quæ incredibilis plane videbatur.

Cœterum de libro *Bellorum Domini* ita sentimus: Judæos post Joseph regnavisse in Ægypto, ac Reges habuisse omnino sex, quorum nomina in primo Paralipomenon legere est, nimirum Efraim, Beriat, Raffa, Re-

ſef, Tale, & Taan, qui Ægyptia lingua vocantur à Manethone Salaatti, Beone, Apacna, Apof, Tenia, & Aſſi. Putamus itaque librum *Bellorum Domini* præſertim in hyſtoria hujus Regni verſari, non enim ſatis intelligi queunt verba Pſalmi 104. *Et intravit Iſrael in Ægyptum, & Jacob accola fuit in terra Cham. Et auxit populum ſuum vehementer, & firmavit eos ſuper inimicos ejus:* niſi dicamus bellum aliquod Hæbreos inter, & Ægyptios ante Moſem extitiſse; præſertim, cum inde proſequatur Pſal. *Miſit Moſem ſervum ſuum &c.* quibus indicare videtur, quæ narravit antea, etiam ante Moſem contigiſse. Quod fecerat David prius pſal. 77. ubi ait *Filios Ephrem intendentes, & mittentes arcum, converſi ſunt in die belli*, ad quod bellum reſpiciens Paralipomenon auctor, narrat e ſtirpe Ephraim novem occiſos fuiſse à viris Geth indigenis, quia deſcenderant illuc, ut horum poſseſſiones invaderent. Refertur etiam eodem loco filiam ejus *Sara* edificaſse Berhorom inferiorem, & ſuperiorem, & Ozenſaram. Præterea legitur itidem Mered de ſtirpe Juda duxiſse in uxorem Bethiam filiam Pharaonis; quod ſane, ſi regnum non habuiſsent Judæi, fieri potuiſse, vix credi poſse videtur. Præterquamquod Manethon teſtatur, teſtaturque Apion, idque haud negat Flavius, ſex fuiſse in Ægypto hæbraicæ gentis Reges, quos Paſtores appellant, imo hoc idem ſuadet Judæorum ſervi-

tus

tus duriſſima ſub Pharaone, quæ certe non tam humilis fuiſset, & aſpera, ſi Ægyptii minime experti eſsent quantum bello, & armis poſsent Judæi; & rei militaris ſcientia in primis, regendique peritia ſuadent, quæ in Moſe, & Joſua apparuere, ac demum divitiæ Joſeph, quæ omnia ſane non ſuadere modo, ſed perſuadere prorſus queunt, Regnum in Ægypto, & non parvum, aut egenum habuiſse Judæos. Quod autem attinet ad Bellum in Amalecitas, quod mandaſse Moyſi Deus, ut ſcriberet, ſcriptumque non inveniri, ajunt adverſarii, id tam falſum eſt, quam quod maxime; nam, quæſo unde vafri homines, commiſsum cum Amalech fuiſse prælium ſciunt, niſi ex Exodo, ubi præceptum, præliumque commemorantur? Extat igitur certaminis narratio. Sed ſi res recte attendatur, non commiſit Deus Moſi, ut prælium ſcriberet in libro ob monumentum, ac traderet auribus Joſue, verum mandavit, ut in libro narraret, quod Moſi contigit, qui præliante Joſue ipſe cum oraret, quoties levabat manus vincebat Iſrael, quoties paululum remittebat, ſuperabat Amalech, id, ut cognoſceret Joſue, ſcribere, & auribus illius tradere opus erat, non autem certamen, cui vir egregius non interfuerat modo, verum etiam profuerat. Ita librum *Fæderis* non alium fuiſse præter alterum librum Pentateuchi certiſſimum eſt, tum quia exarata apparent in

 Pen-

Pentateucho mandata illa, quæ verba *Fœderis* decem appellantur, tum etiam quia hoc aſservari Volumen in arca Fœderis juſſit Moſes. Alias ſi liber iſte alius à libro Pentateuchi eſset, conſequeretur Decalogum, & circumciſionem extra Fæderis leges cenſeri debere, quo nihil eſt, quod abſurdius dici poſſit, aut æſtimari. Ad poſtremum denique ſunt, qui reſpondent, mortem ſuam Moſem prænoviſse, atque deſcripſiſse illam, ne propter excellentem virtutem ſuam, raptum fuiſſe crederent Judæi, ac proclives ad Idololatriam cum eſsent, illum veluti Numen colerent: ita enim inter multos ſentiunt Philo, & Flavius. At nos hac in re doctiſſimorum hominum opinionem ſequuti, ſine hæſitatione prorſus ulla affirmare non dubitamus, poſtremum Deuteronomii caput ſcriptum à Joſue fuiſse poſt Moſis ultimum fatum. Quæ ſententia nititur traditione Rabinorum, qui à Majoribus ſuis acceperunt Moſem in Phage montis altiſſimi vertice, qui extat in illa Moabitarum regione, à qua pulſi Judæi fuerant ab Amorræis, & quam iterum occuparunt, fuiſſe à Deo collocatum; & licet ſcriptura doceat nulli Moyſis ſepulcrum notum fuiſse, tradunt hi, Principi Synagogæ id ſemper fuiſſe palam; unde verba illa explicanda ſunt ad hunc modum, quod ſcilicet cum uni tantum illud patuerit, nulli patuiſse dicetur, ut ipſe ſacræ litteræ in more habent facere perſæpe,

que-

quemadmodum videre est Genesis 33. , ubi quærenti Abraham uxoris corpus sepulturæ tradere, respondere incolæ plagæ illius: *Nullusque te prohibere poterit, quin in monumento ejus sepelias mortuum tuum*, hoc est ut multi interpretantur *Vix ullus erit &c.* Et Exodi 10. quo loco de tenebris agitur, quibus virtute Moysis obtendebatur ceu velis Ægypti regnum, quas adeo crassas fuisse sacer textus asseverat, ut nemo eo temporis viderit fratrem suum, nec moverit se de loco in quo erat, idest, ut explicant interpretes, atque versiones nonnullæ referunt *vix ullus &c.*

VIII. Postquam satis ut arbitror de Pentateuchi auctore disputatum est, ac satis quidem tempus constitutum, quo vixerit: videamus nunc, quædam ne eventura esse enunciaverit, quæ evenerint reipsa, ut inde vatem fuisse Mosem colligentes, divino spiritu hos scripsisse libros, tandem aliquando eruamus. Id enim omnium maximum momentum esse, certissimumque, inter alia censet Augustinus.

Illa autem primo loco commemoranda est Vaticinatio, quæ ex Jacobi verbis deprompta adeo clare effulget, ut non ęque clarius sol micare in meridie videatur; quam sane, ut intueri perspicue, atque introspicere valeamus, placet nobis per ętatem omnem ducere illa ad ea usque tempora, quibus expleta fuit. Quod si longi fortasse erimus, id utilitate, flosculisque hystorię pensitabimus. Jacob itaque cum sibi ex-

extremum ingruere fatum cognofceret, vocatis ad fe filiis fuis, ita ominatus eft illis. *Ruben, inquit primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, major in imperio. Effufus es ficut aqua, non crefcat, quia afcendifti cubile Patris tui, & maculafti ftratum ejus. Simeon, & Levi fratres, vafa iniquitatis bellantia. In confilium eorum non veniat anima mea, & in cætu illorum non fit gloria mea, quia in furore fuo occiderunt virum, & in voluntate fua fuffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura: dividam eos in Jacob, & difpergam eos in Ifrael. Juda* (pergit) *te laudabunt Fratres tui: manus tuas in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii Patris tui. Catulus leonis Juda, ad prædam fili mi afcendifti: requiefcens accubuifti ut leo, & quafi leena; quis fufcitabit eum. Non auferetur fceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eft, & ipfe erit expectatio Gentium &c.* Ex qua vaticinatione duo fane eruenda funt Principatus Judę propter viros ftrenuos; & non prius auferendum fceptrum, quam ille nafcatur, qui mittendus eft; ideft, ut quamplurimi Rabini etiam fatentur, Meffias: ad hęc porro refpexit quoque Mofes, cum loquutus eft in hęc verba. *Hæc eft Judæ benedictio: audi Domine vocem Judæ, & ad populum fuum introduc eum: manus ejus pugnabunt pro eo, & adjutor illius contra adverfarios ejus erit.* Principio autem, ut vaticinationis hujufmodi expletam ratio-

ctionem omnem intelligamus animadvertere prę-
stat, postquam Judęi exiere de Ægypto, ac primo castramentati sunt, principem locum Judam obtinuisse, primumque habuisse in muneribus afferendis ad tabernaculum, offerendisque; sed & sub Josue imperio Principatum inter tribus servasse, certissimum est, & post Josuam summa imperii pœnes Judam fuisse, clare colligitur ex Judic. lib., ubi gentem hanc legimus Jerusalem Civitate, quę deinde totius Regni caput extitit, fuisse potitam. At tum in primis hujusmodi Tribus Princeps inter alias constituta videtur, cum David creatus, selectusque fuit Rex totius hębraicę gentis, ac sceptrum à Davide, Salomone, Rhoboamo, Abia, Asa, Josaphate, Jora, Ocozia, Atalia, Joa, Ammone, Jozia, Joacazo, Joakino primo, & altero Sedecia per 465. annos ad servitutem Nabuchodonosoris usque in Tribu Juda servatum est. In mancipio autem illo habuisse Judęos sin Reges, judices saltem suos, qui judicarent, juberent, morte mulctarent, constat sane ex Susannę hystoria, ubi legitur. *Et constituti sunt de populo duo senes Judices in illo anno ..... Isti frequentabant Domum Joakim, & veniebant ad eos omnes qui habebant judicia:* fuisse autem illos e Tribu Judæ profecto apparet ex eodem Daniele senes istos increpante hisce verbis: *Semen Chanaam, & non Juda species decipit te &c.* Quod tempus servitutis quidem fuisse prænunciatum à Jacob, verba illa *re-*

quie-

scens accubuisti ut Leo, & quasi Leena, proculdubio demonstrant. Porro autem, cum Judæi excesserunt ex mancipio isto, fuisse illis imperium etiam restitutum, patet liquido ex Artaxeris Longimani decreto, quo cautum est, *ut constituerent sibi judices, & præsides*, ut omni populo *judicarent, qui esset trans flumen, judiciumque eorum esset sive in mortem, sive in in exilium, sive in condemnationem substantiæ, vel certe ad carcerem*. Scimus autem, postquam Judæi in regionem suam reversi sunt, Zorobabel Principem constitutum habuisse, qui cum filius Salathiel dictus sit, Salathiel autem de stirpe Sedeciæ, fuerit hic quoque de Tribu Juda, necesse est. Verum post reditum Judæorum in Patriam, cum permixtæ Tribus omnes essent, fuisse etiam omnes uno Judæ nomine vocatas, certissimum est; quæ cum prima (nimirum Tribus Juda) ut loquitur Neemias, in illa loca venisset, tota Regio in eam cessit appellationem. Quod prænunciasse, prænovisseque Jacob tam certum est, quam quod certissimum. Quid enim innuere voluit ipse Jacob, quando Simeoni, & Levi *se velle eos dividere in Jacob, ac disperdere in Israel* predixit: nisi dicamus significasse futurum, ut Tribus hujusmodi sine nomine essent, vitamque ducerent subobscuram, ac fieri aliquando debuisse, *ut Judas adorandus*, ut ipse loquitur, *venerandusque esset à fratribus suis?* Igitur qui regnarunt in Juda post

post Zorobabel, licet e Levitica Gente fuerint, quoniam permixtæ res omnes erat, fuisse etiam ex Tribu Juda, quæ totius Populi una erat Tribus, ac propterea nondum ablatum à Juda sceptrum fuisse, fateamur necesse est. At tum certe eripuisse illud Herodem Ascalonitam dicemus, cum interficere jussit *Sanhedrin*, quod erat Judicum cętus: contigit id autem biennium ante Christi ortum, uno dempto Babba filio Bota, qui Regis fuit Consiliarius: qua de causa iidem Judæi mortem Christi poscentes, furorique illorum tradere Christum cum vellet Pilatus, responderunt, *Nobis non licet interficere quemquam;* quibus sane ereptum illis fuisse sceptrum fassi sunt, quod tamen tenuerunt ad illa usque tempora: igitur expleta tum fuit Jacobi vaticinatio: quæ certe cum fieri humanitus non possint, sed cum fieri divinitus petant, divinum esse librum, qui hæc complectitur, vel perspicue demonstrant. Scimus Natal. Alex. hanc Jacob vaticinationem ad universum Judæorum genus traducere: sed perperam; hoc enim felix, fortunatumque omen proprium fuit Judæ, si pater filiis singulis singillatim est ominatus, ut revera ominatus est; præterquamquod nisi eamdem teneamus viam, quam Judæi servant, qui de uno Juda id dictum volunt, nihil contra illos quidquam colligemus.

Præterea in Gen. narrat Moses dixisse Deum

Deum Jacob dormienti: *terram in qua dormis tibi dabo, & semini tuo*, non dedit autem, nisi diu post mortem Mosis, vaticinatus igitur est, cum hæc prænunciavit. Sed ante Jacob, an montem nescimus, quo immolandus erat Isaac appellatum montem *Dominus videbit*? ut intelligerent Judæi Deum visurum esse in monte illo populum suum (ut traditio Judaica fert) quem vidit re ipsa post ædificatum Templum, quod in Moria monte extructum cum fuerit, fuisse in montis vertice vulgo *Dominus videbit* collocatum oportet? At quoties, bone Deus, id etiam aliis, in lib. non indicavit Judæorum Dux, præsertimque cum deuter. 12. de iis loquens, quæ servare debebant Hebræi in terra, quam daturus erat illis Deus, dixit: *Cave ne offeras holocausta in omni loco, quem videris, sed in eo, quem elegerit Dominus in una Tribuum tuarum offeres hostias, & facies quæcumque præcipio tibi*. Scimus autem ex lib. Reg. ann. 440. Mosis mortem inter ac Templi molitionem fluxisse. Quid est igitur, quod nobis facessere negocium possit, ne credamus eodem divino Spiritu, quo divinus Vates hæc prænunciavit, scripsisse etiam? Sed vultis decretoriam vaticinationem, quæ vocari in dubium minime possit? illa certe sumi posset ex eo, quod Moses prænovit futurum, ut aliquando Judæi Reges haberent suos; inquit enim Deuter: c. 17. alloquens populum suum: *Cum ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus*

tuus dabit tibi, & possederis eam, habitaverisque in illa, & dixeris constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum &c. quod sane adeo clarum, perspectumque habuit, ut eodem loco præscripserit quoque leges ad Reges futuros moderandos, continendosque in officio: atqui Reges non incepere apud Judæos nisi anno mundi circiter 2929. quo tempore Saul electus, designatusque est à Deo, ut populi regimen haberet, ac Rex appellaretur: igitur cum vixerit Moses anno 2792. Reges autem habuerint Israelitæ anno 2929., 137. annos ante, hæc Vatem nostrum presensisse necesse fuit (quamvis juxta verum scripturæ calculum id molto prius Moses vaticinatus sit) Sequimur autem positam superius Epocham.

Illam porro si vacaret exponere Poesim, quam cecinit Moses prope mortem, illam inquam exponere si vacaret, vel clarissime ostenderet multa prænovisse illum, quæ plurima post sæcula cecidere (cum præsertim ibi commemoratam intelligamus servitutem, quam modo obstinatissimi Judæi ferunt, ac futurum erit, ut patiantur ad mundi exitium) quod tamen prætermittimus, ne longum nimis facere videamur. Verum cum liquido constet Vatem fuisse Mosem, ac propterea divino Spiritu movente intus, isthæc litteris tradidisse, quis inficias iverit Pentateuchon libros divinitus scri-

ſcriptos eſſe à Moſe; quaſique Deo dictante ?

At id, qui negant, videant quæſo, num iis momentis fulti impellantur ad accuſandum, quibus nos ſtipati ad defendendum movemur. Namq; in re graviſſima, qua de agitur non ſufficit quæcumque conjectura ad deliberandum, ut Criticæ artis magiſtri docent, & ad traditionem antiquiſſimorum temporum, ac nationis integræ litteris, & armis florentiſſimæ perturbandam, evertendamue. Quantum autem in ſe ponderis habeat res, quam tractamus, vident omnes, qui in hiſce libris Judaicam, ac Chriſtianam Religionem egiſſe olim, & nunc etiam radices agere, vident.

IX. Cum ſatis, ut opinor contra recentiores Atheos de Pentateuchon libris diſputatum ſit, ſatiſque oſtenſum libros hoſce divinos eſſe, quaſique à Deo Moſi dictatos, nunc ad totius diſputationis noſtræ abſolutionem nihil omnino ſupereſſe aliud videtur, quam ut ſtatim cuncta, quæ nobis opponunt examinemus diligenter, ac totis lacertis refellamus, quod quidem agentes ita placet cum adverſariis noſtris exordiri.

1. Pentateuchon Volumen divinum eſſe vel colligimus ex ejuſdem voluminis auctoritate inquiunt, vel ex monumentis ab antiquitate profana petitis. Si primum id quod in dubio eſt, probamus eo ſuffragante volumine, quod item in dubio eſt, proindeque dialectici inflato ſplene clamabunt, nos joculari errore de-

deceptas petere principium, aut in Pystillo versari: si vero id confirmatum volumus momentis ex ruderibus Gentilium depromptis, non religionis veritas constabit, neque majorum auctoritas fidem faciet, propterea que fide divinitus missa Pentateuchon veritatem non vindicabimus, quod cum absonum, absurdumque sit, nihil nobis, inferunt, antiquius esse debebit quam credere ratione prorsus nulla posse nos contra impios Atheos Pentateuchon divinitus datum esse defendere.

2. Quod si arbitramur id posse nos colligere ex miraculis à Mose patratis, profecto inquiunt hallucinamur, non enim certum est illa Mosem egisse ope Dei potius, quam Demonis, ac prodigia fuisse illa potius, quam præstigia. Immo si recte res ponderetur suadet, inquiunt, potius Mosis vita, hunc nefarium hominem fuisse, cum inimicum interemisse constet, solitumque fuisse semper audere quidquam brevibus giarys, ac carcere dignum.

3. Neque Legis ab eo latæ æquitas, ac prudentia ad id demonstrandum argumento esse potest, cum sciamus (pergunt) Mosem Uxoris repudium dimisisse suis; odium in hostem concessisse; ac Idololatris fœneratam dare pecuniam non vetasse; qua de causa scimus Christum legem eam abdicavisse, delevisseque omnino illam, inquiunt, quam, gravissimum onus Petrus non sine sano consilio appellavit.

4. Sed illud in primis volumen hoc mini-

me ſcriptum eſse divinitùs declarare arbitrantur, quod homines nullam hujus revelatæ religionis indigentiam habebant, nullaque cogebat neceſſitas ad ea ſcribenda, quæ in Pentateucho continentur, ſive hyſtoriam reſpicere velimus, ſive legem, ſive reliqua omnia, quæ hoc volumen præſefert: ex eo quippe, quod homines bene, beateque vivere potuerunt per annos 2792. ſine lege ulla ſcripta, cæteriſque præſidiis, quæ à Moſaicis libris fluxere, intelligimus ſane humanum genus Moſe indiguiſse numquam, propterea que ſupervacanei iſti libri cum ſint, Deum nequaquam auctorem habere creduntur.

5. Quid? quod Angelorum procreationem (inquit Julianus Apoſtata) hiſce in commentariis commemoratam non legimus, ſed mundi tantummodo molitionem, quam neque clare deſcripſit, neque univerſam, nihil de naturæ viribus, nihil de abyſso loquens, ſed ea exponens tantum, quæ vulgi opinionibus erant accomodata?

6. Quid inquit? Quod multa, quæ vera ſunt fabulis commaculavit, Paradiſum comminiſcens voluptatis, hominem ex luto confectum, fæminam ex viri latere deductam, ac loquutionem vaniſſimam Hevæ cum colubro, quæ certe cuncta purum redolent commentum, putumque; impietatem vero redolent maximam, (pergunt) quæ de Deo narrat, pingens illum ambulantem, molientem, alloquentem,

tem, quibus sane negat Deum esse *Asomaton* puramque mentem solutam, & liberam ab omni concretione mortali? Librum ne dicemus divinum, qui isthæc insana, & impia complectitur? hactenus illi.

X. Sed qui ista ajunt, sane pueriliter ajunt, nam quid levius dici potest, quam, quod majorum auctoritate creditur, id sine ratione credatur? Religione etenim amplectimur, quæ momentis etiam rationis confirmamus; hæc nimirum momenta, sunt, quæ nos movent, siquidem ad assensum rei obscuræ præstandum: (*quæ à nostris motiva credibilitatis vocantur*) illa vero, nempe religio, ratio est intima, & intestina credendi, alias sine ratione crederemus, proindeque non ut homines crederemus. Ita cum divinos Pentateuchon libros propugnamus, idque contra Atheos auctoritate exterorum, ac ratione ostensum vovolumus, nefarios homines humanis momentis urgemus, ut volumen divinum credant, quod certe religionem non tollit. Nihil temere dico: Audiamus enim vero Augustinum hæc omnia vel clarissime confirmantem, qui agens de ratione credendi quadam, inquit: *Hæc causa dupliciter nos movet, partim miraculis, partim credentium multitudine: nihil eorum est necessarium sapienti, quis negat? Sed id nunc agitur, ut sapientes esse possimus, idest inhærere veritati*: hactenus divus Pater; ex quibus profecto apparet, qui credunt nulla indigere ratione,

ne, qua ad credendum impellantur, ſed indigere ſiquidem illa, qui non credunt, non ut ſciant, vel ut cognoſcant, verum tantummodo ut credant, quæ videri, aut cognoſci non queunt. Quis eſt igitur, qui ignoret fieri non poſſe, ut ſciamus, ac cognoſcamus omninò ſacras litteras, afflante divino ſpiritu fuiſſe exaratas? Igitur nihil momenti plus habent ratio, & profanorum auctoritas, quam ut per illas ad credendum agamur.

Porro riduculum non minus eſt, quod ſecundo loco addunt: etenim ope dæmonum non fuiſſe patrata ab illo prodigia ex eo apparet inpimis, quod pravam magiæ artem non ſemel, aut bis, ſed locis fere innumeris Moſes prohibuit; præſertimque Exod: 22. V. 18. Levit: 20. V. 6., & Num. 23. V. 23. Deuteron: 18. V. 10. quod proculdubio expreſſe, diſerteque non fuiſſet, ſi hanc adhibuiſſet ille, quoniam, quæ neceſſaria ad originem videntur, videntur & neceſſaria ad progreſſum, ut Philoſophi docent, ac proinde illam adhibente Moſe ad religionem promulgandam, adhibuiſſent cæteri ad retinendam. Illud autem vel maxime declarat Moſem, Deo uno illi prebente opem, miracula edidiſſe ſua, quod legimus apud laudatos profanos ſcriptores, nomine totius univerſi Moderatoris petiiſſe Judeorum ducem ab Pharaone populi liberationem Judaici, quo nomine, cum omnes factorem, Gubernatoremque univerſi intelligant, certe dæ-

dæmon ad id confirmandum, quod illi adversabatur maxime, opem non tulisset. Quanto magis autem id ostenditur, cum Mosem virum justum fuisse, demonstratur? qui certe propter virtutis excellentiam Musæi, ac Mercurii nomine celebratus, adoratusque est à Gentilibus, ur videre est apud Eusebium. Neque enim vitio verti debet illi, quod hominem occiderit, propterea quia vindicavit quem *injuriam patientem viderat*, ut loquitur Sanctus Stefanus Protomartyr; potissimum vero, *si id æquitatis studio provocatus fecerit*, ut Ambrosius fidem facit, quasique Deo impellente, ut Basilius, & Augustinus testantur. Non enim alia de causa post commissum facinus fugæ sese dedit, nisi quia *pavebat*, se temere in prævisum periculum iniicere, ut loquitur Crisostomus, ac dominum suum pertentare; non quod timuerit Regem ulciscentem, ut perperam obtrectatores dicunt. Unde Apostolus scripsit, *Mosem fide reliquisse Ægyptum, non veritum Regis animositatem*, fide scilicet, recte cum crederet, Dei virtutem experiri velle, nefas esse. Cæterum quamvis daremus peccasse Mosem, non proinde consequeretur illum deinde justum, ac pium non fuisse virum. *Nam ille animi motus, (inquit Augustinus, qui utramque opinionem probat) quo Peregrinum fratrem à cive improbo injuriam perpetientem, non observata ordinis potestate inultum esse non pertulit, virtutum fructibus fertilis erat, sed adhuc incultus, vitiose quidem, sed*

 ma-

magna fertilitatis signa fundebat .... Ita illa Pauli sævitia, cum secundum emulationem paternarum traditionum persequebatur Ecclesiam, putans officium Deo, se facere, tanquam sylvestre erat vitium, sed magnæ feracitatis indicium: ita Petrus cum auriculam dexteram persequutoris abscidit &c.

Ad legem vero, quod attinet, duo distinguenda sunt, alterum quod spectat ad eam legis partem, quam divinam appellamus, in qua tota quanta est ratio collocata est religionis: alterum quod solum respicit ingenium nationis hujus, tempora, mores, & loca; priorem appellabimus universalem legem, posteriorem particularem dicemus, æterna altera, altera temporaria fuit, prima decalogi præceptis comprehensa, scripta à Deo quidem, confirmataque à Christo, altera Mosi tradita, & repudiata à Christo. Qui propterea quia viderat temporariam esse, atque peculiaris Gentis, illa adventante, quam mundus complecti universus tenebatur, in cætum antiquarum rerum amandandam esse duxit. Hæc autem lex particularis erat, neque inficiamur vitiis scatere potuisse, utpote quæ accomodata erat hominum ingenio vanissimorum, ac propterea solis Hæbræis data. Unde apparet non studuisse Mosem Socerum hortari Jethronem, ut illam susciperet, neque Jonam Ninivitas, nec alios Sacros Vates Caldæos, Ægyptios, Sidonios, Tyrios, Idumæos, Moabitas, quibuscum

rem

rem habuerunt Judæi, testanturque idem Talmud, ac Maimonides, quam profecto non servavere Abel, Noe, Melchisedech, Jacob, cæterique ante Mosem. Non enim, quod ipsa vetebat, vetebat quia malum, sed malum erat quia vetitum. Quis autem est qui ignoret ad hanc legis partem spectasse Uxoris repudium, fænori dare, hostes odisse, & quam propter præceptorum ingentem numerum jure optimo gravissimum jugum Petrus appellavit? Igitur respui, delerique potuit cum temporaria esset, non secus atque illa, quæ in deserto servanda erat, quam legimus Deuteron: 23. aut illa, quæ Judæis præcepta fuit quoad cum Kanahaneis vixere. Porro nos, qui defendimus Christum delevisse illam, defendimus etiam Christum esse Deum; qui dedit igitur, si & tollere potest, abstulit Deus, qui idem dederat, atque aliam invexit perfectiorem proculdubio, quoniam etsi perfectiora semper divina virtus effecta progignat, item perfectiora progignere semper potest, alias infinita non esset. Non enim defendimus omnium perfectissimam Mosis legem fuisse quoad partes omnes, & quoad omnes articulos cum præteritos, tum futuros, tum à Deo, tum ab homine datos; sed dicimus legem Mosis quoad decalogum omnium fuisse absolutissimam, a Christo confirmatam; unde docuit *Se non venisse ad legem solvendam, sed adimplendam*, quæ verba de lege decalogi intelligenda esse docent ad unum omnes In-

terpretes Sacri : dicimus Porro Mosis legem quoad partes omnes optimam fuisse si comparetur cum Gentilium legum decretis. Quæ sane sufficiunt, ut inde colligamus non potuisse nisi divinitus dari Moisi, cum satis percipi non queat quì fieri potuerit, ut unus homo naturæ viribus tot egregiis viris in ferenda lege præstiterit.

Quantum autem semper humanæ leges ad societatem conduxerint, certe norunt ii, qui quantum effrenata sit hominum cupiditas, quantumque ingenium ad libidinem proclive, norunt. Necesse itaque fuit, ut homines, qui diutissime cum Ægyptiis, hoc est cum idololatris vixerant, quorumque religione aliquando occupati fuerant impeditique, præscripta haberent quędam, quibus facilius, & quæ sequenda essent, queve fugienda cognoscerent. Etenim nullo negotio prius majorum traditiones poterant inviolatas accipere, quæ facile per Genealogias duodecim Patriarcharum, ex quorum stipe filii Jacob profluxerant ad Noe usque ascendere quiverant, indeque per novem Genealogias commode usque ad Adam: Neque indiguerant prius particularibus statutis, qui vixerant in aliena regione, quasique semper sub exterorum imperio, quamvis, & hęc habuisse cum scimus, circumcisionem nimjrum, quæ data Abrahę facile servari in hac familia potuit, atque ad universos Hebræos traduci, qui ex Abrahæ genere omnes erant, At non item
cum

cum ex Ægypto evaſere, *quo in loco multiplicati cum eſſent ſuper numerum*, ut ipſæ Sacræ Litteræ teſtatum faciunt, & cum Idololatris rem habuiſsent diu, facillime quidem traditiones majorum violare poterant, atque cum profana religione miſcere: cumque Regno ſuo potitum iri deberent, legibus etiam quibus continerentur (quoniam legibus imperia continentur, ut Solon ait) ac firmarentur egebant. Hæc igitur in cauſa fuere, cur Deus tradere voluerit eo tempore Judæis cuncta quę in Pentat: habentur. Quod ſi iſthęc obſtinatiſſimis Atheis non ſatisfaciunt: quia id a divino placito pendet, fatemur vel libentiſſime nullam rationem, nullamque inviɛtiſſimam demonſtrationem indicare nos poſse. At ſi non conſtet de cauſa, effecta ne propterea neganda ſunt? Certe nemo maritimos æſtus negabit, & ſi meatus, commeatuſque maris cauſam, rationemque ignoret.

Veruntamen teſtamentum vetus, ut Auguſtjnus diſserit, ad novum teſtamentum ordinatum cum ſit, ibique pręſertim hyſtoria illius Gentis contexta, ex qua ducturus Meſſias erat originem, qui ſane non ex Angelorum cætu, ſed ex hominum rrahere ortum debebat, nil mirum igitur ſi Moſes hæc tantum reſpiciens, pręteṙmiſit Angelorum deſcribere procreationem, eam dumtaxat, quę hominum eſt, contentus exaraſse: quamvis contendant nonnulli tum indicatum fuiſse Angelorum ortum,

cum Cęlorum, ac lucis molitio descripta fuit. Sed neque minute disputare de rerum natura propositum habuit Moses, aut de rerum primordiis, aut de elementis. *Nam quid attinebat*, inquit Sanctus Cyrillus Alexandrinus *dicere qualis esset aquarum natura, aut quod primordium habuerit? Quid erat necesse abyssos metiri, cęlique naturam, aut quomodo Angeli extiterint curiose inquirere? Et Paulo post. Age vero* (*pergit*) *quanta perspicuitate, & facilitate libros de Mundi creatione divinus Moses conscripserit, quam accurati sint illi, quamque nihil superflui habeant, age, demonstremus. In principio, inquit, fecit Deus Cęlum, & Terram. Non enim, ipse jam, ut quidam, materiem cum Deo principii expertem, coæternam, & ingenitam intelligi finit, & quod aliquando non erat cum æterno concurrere, ac simul existere, nec cum eo, qui idem semper est, id, quod mutatur, cum incorrupto, id, quod corruptioni subest. Immo tempore, ac principio vocante ad ortum res creatas definit tamquam ex nihilo Dei voluntate, ut essent id, quod sunt, eductas ...... Cum igitur Moses ait: In principio creavit Deus Cęlum, & terram, intellige summatim, ac veluti in compendium collatis omnibus universam rerum creationem exponere; tum artificiose progredi ad explicandum qua parte singula fuerint exornata, & unaquæque res creata existentiam suam maxime fuerint adepta, nempe verbo potentissimo, ipsum, ait, condidisse omnia*. Hactenus Cyrillus. Itaque cum hystoricum hic egerit

egerit Moses, & non philosophum, dicimus hystorici munus optime, laudateque explevisse.

Sed (proh hominum, Deumque fidem, & quid est, si hæc maxime dementia non est?) fabulas esse que Moses narrat de Paradiso, de hominis, fœminæque origine, ac de colubri loquutione arbitratur Julianus Apostata, impia vero, quæ de Dei sermone, ambulatione, cæterisque refert: & commentitia porro, ac plane scenica secum ipse non reputabit Hesiodi Pandoram, lutum Promethei, ortum Jovis; scelerosa autem, & impia, quod Afer ait *Venisse Deum clanculum per impluvium fucum factum Mulieri: at quem Deum? Qui templa cœli summa sonitu concutit*. Qui igitur divinæ virtutis rationem habebit, ille fabulas esse, que Moses retulit de Adamo, & Æva minime dicet, verum in iis introspiciet condentis Dei facultatem, ut Cirillus testatur, potestatemque, qui ne homo superbus fieret, & insolens è terra eum omnium elementorum humillima conflavit, & ne cum uxore jurgii causam inferret, sed eam summo prosequeretur amore, illam veluti ex viri corde eduxit: nil mirum autem si mulierculam simplicissimam vix in lucem editam dæmon sub Colubri forma fefellit, quæ sermonis usum fuisse & brutis animantibus datum inexperta adhuc, & rudis credere nullo negotio potuit, ut pueri nostri, puellæque faciunt. Non enim ex conjectura levissima, aut suspicione potius id fas est negare, quod validis-

diſſimis momentis confirmatum eſt , propterea quia per urgentiſſimas rationes tollitur ſuſpicio omnis , adeo ut credendum etiam ſit , quod ſatis non intelligitur : ita Criticæ artis auctores ratiocinantur . Quare concludendum eſt Pentateuchi volumen divinitus fuiſſe datum neque ad divinitatem ejus evertendam contra momenta inviƈtiſſima ſuſpicionem ullam valere. Fatemur tamen id proculdubio oſtendi poſſe , ſi Moſem male de Deo ſenſiſse (ut illum perperam accuſat Julianus) oſtendi item , demonſtrarique poſset : at quis , amabo , niſi ſtultus ſit , planeque amens furore non videt , quando introducitur in Pentateucho Deus loquens , ambulans , condens, id per ſchemata quædam fieri , quibus refertiſſimæ ſunt linguæ omnes , quas orientales dicimus , ſed hæbraica inprimis ; non autem ex eo colligendum eſse propterea Deum corpore conſtare , quod numquam credidere Judęi , licet iſthæc fere quotidie percurrerent. Licitum quippe non eſt (inquiunt Critici) ex antegreſſis colligere , aut inferre quidquam etſi id ipſa , quæ antegreſsa ſunt fieri poſse ſuadent, ſi illud , iis tamen , quę ſequuntur expreſse , ac direƈte opponatur: nimirum quia clara petunt cum claris item comparari. Cum igitur, qui Deum veluti condentem inducit , ſciamus teſtari non molitione quadam , ſed uno verbo fecisſe omnia *ipſe dixit , & facta ſunt :* ſciamuſque , qui Deum ambulantem, loquentemque introducit, teſta-
tum

tum etiam reliquisse Deum videri non posse, Deum nomine carere, Deumque esse spiritum æternum, & immortalem, quis unquam ausus erit negare Deum Mosis esse *Asomaton*, ac puram mentem solutam, & liberam, & secretam ab omni concretione mortali? Quin etiam Etnici ipsi quibus sacrę litterę notæ fuere, inter quos summus vir, ac nobilis Dionysius Longinus fatetur, neminem invenisse in universa antiquitate unum, qui ita Dei dignitatem, ac sublimitatem tum in patrandis operibus servaverit, cum in jubendis, committendisque, quam Moses. Igitur tum ex illis, quibus probavimus, tum ex his, quibus adversariorum commenta, & captiosas, ac fallaces argumentationes refellimus, satis constat (opinor) Pentateuchon divinitus, ac quasi Deo dictante fuisse exaratum. Longior fui forsan in rebus hisce explanandis, quam necesse fuit. Verum, & argumenti gravitas, & memoria tui, quem præsentem habere colloquentemque suavissime, ut soles, ipse mecum reputabam, ita me recrearunt, ut Orationem properantem ad finem, quandoque cohibere conarer. Vale vir suavissime, & hæc qualiacumque sint, æqui, bonique facito.

A. R. P.

A. R. P.

FRANCISCO ANTONIO GERVASI

Franciscanæ Familiæ Theologo, & Concionatori Eximio

F. FRANCISCUS MARIA LEONI

S. P. D.



Uæ ſcripſi de Pentateuchon auctoritate, tibi, tuique ſimilibus ſummopere placuiſſe valde gaudeo. Ex hoc enim intelligo, probata mihi illa eſse debere, quæ vobis Viris ſummis graviſſimiſque minime improbata fuere. Porro autem ſi facio quod jubes (jubes autem de vi, & uſu humanæ rationis in rebus Theologiæ non nihil ad te ſcribam) ſi facio inquam quod jubes, timeo ſane, ut judicium tam benevolum ſim amplius reportaturus, cum ſoleant homines in ſingulis cauſis de omni ingenio judicare; vereorque potiſſimum, ſi antiquos errores refuto, ne actum agere videar, ſi vero recentiſſima commemoro, eaque refello, ne mihi in rebus obſcuriſſimis, perque ardua, & abrupta contendenti, offendere contingat. Facillime namque inventis addimus, difficillimum eſt

eſt invenire. Verum ſi amico honeſta petenti reſiſtere non debemus: age jam examinemus quanti in Theologica paleſtra ratio humana facienda ſit, quod ſane fuit, quod à me nuperrime litteris tuis flagitaſti, quodque hortatu, aut potius juſſu tuo (Deus bene vertat) tractare ſuſcipiam.

Principio autem video me cum duplici hominum genere congrediendum eſſe. Sunt etenim nonnulla, que rationem humanam, ſuſque deque habendam eſſe putant, præſertimque à finibus Theologiæ eliminandam, exterminandamque eſse, contendunt: Sed alii ſunt, qui tantum rationi tribuunt, ut huic potius, quam Religioni manus dandas eſſe decantent.

Primam ſententiam ſunt, qui ab Cornelio Agrippa, Averroe, Pomponatio, ceteriſque derivant, quos proſcriptos ferunt ab Leone X., Lateranenſis Synodus cum definit *Verum vero minime contradicere, omnemque, aſſertionem veritati illuminatæ fidei contrariam, omnino falſam eſſe*, nimirum hujuſmodi homines ex Ariſtotelis Philoſophia minime probari poſse immortalitatem animorum noſtrorum contendentes, impia dogmata imperitæ multitudini venditabant, neſcientes impiam conſuetudinem eſſe contra Religionis placita diſputare, *Sive id ex animo fiat*, ut Cicero ait, *ſive ſimulate*! Verumtamen tunc in primis ſeviit pæſtis hæc in Chriſtianas gentes, cum Ludovicus Meyer Amſtelodami Medicus librum, cui titulus *Philo-*

losophia Scripturæ interpres, tacito nomine, evulgavit (quos sane Commentarios Benedicto Spinoze, quo utebatur familiarissime Meyer, multi perperam tribuerunt, licet non his dissimilia Spinoza quoque docuerit) in quo opere quidem defendit mordicus impius homo, quæ à religione nascitur veritas, ac perinde supra rationem est eam contrariam item esse rationi. Opusculum autem hoc mirum, quot turbas apud Batavos excitavit. Nam Joannes Labadius ante præclarum ab illis discessum ad rem strenue egressus, nefariam opinationem hominis perditissimi neruis omnibus refellit, plurimis egregio Auctori suffragium ferentibus viris. Verumtamen causam hanc diu, multumq. in Synodo perpensam vicit tandem Vvolsegenius, qui ab Meyer sententia non discrepabat. Quapropter in Batavia statim sectæ duæ ortæ sunt, quarum altera *Rationalium* nomen nacta est, altera *non rationalium*. Accessisse autem ad hujus factionis partem, qui Pirrhoniæ Soholæ jampridiem desertæ, atque relictæ patrocinium susceperant, ex dissertatione nostra contra Pirrhonios veteres, & recentiores, quam publici juris fecimus, satis constare potest; Ac de historia sententiæ hujus satis multa. Nunc de alterius falsæ item, atque impiæ opinationis origine non nihil dicemus.

Fuerunt igitur apud Hetherodoxos, qui antequam recensiti errores orirentur tantum humanæ rationi tribuerunt, quantum ipsa sibi ne-

nequaquam daret. Quin etiam ſunt adhuc, qui ita cum non rationalium (ut ipſi vocant) hominum obſtinata ſententia pugnant, ut non tandundem hi tribuant rationi, quantum detrhaunt illi, ſed ei ampliora quædam largienda eſſe contendant. Iſti quippe, cum de Religione agitur, Divinaque doctrina rationi univerſæ vale dicunt. Hi vero in rebus iis, quæ ad Dei cultum, pietatemque pertinent ſic adſciſcendam eſſe rationem putant, ut exiſtiment judicem divinarum rerum, quæ in ſacris litteris continentur, eſſe rationem.

Quæ opinationes profecto, cum tam diſſidentes ſint, tamque inter ſe diſcrepantes, fieri quidem poteſt, ut earum nulla, fieri autem non poteſt, ut plus una vera ſit. Sed de diverticulo in viam. Qui rationem Theologiæ præſtare volunt, ii Sociniani ſunt, qui naturæ lumen ſequentes, quæ rationi opponi videntur, cuncta predicant funditus extirpanda.

Qua in re adeo turpiſſime errant, ut doctrinam quam à Majoribus accepimus de Trinitate, de Incarnatione, de Divina gratia &c. utpote quæ humano lumini, ac Philoſophiæ oppoſita videatur, repudiandam eſſe decernant. Atque hoc modo ex damnatæ antiquitatis Ruderibus, quaſi poſtliminio revocare non deſinunt, quæ Ariani, quæ Photiniani, quæ Pelagiani commenti ſunt, quorum nomina, & errata jampridem ab Niceno, Con-

ſtantinopolitano, Arauxicano, & aliis pluribus Conciliis damnata, utinam ita delivisset tempus, ut in memoriam hominum, quemadmodum hi pessime faciunt, rursus revocari non possent.

I. Verum exordiamur ab iis, qui non modo secretam, remotamque rationem humanam volunt à Religione, sed ulterius, quæ Religio docet, quæque ratiocinando essequi non valemus, ea sane adversari naturæ lumini, volunt; & ostendamus, quæ Religio docet vim, & aciem humanæ intelligentiæ, fugere quidem posse, minime tamen huic opponi, immo vero rationem fidei persæpe opitulari.

Principio autem id ostendi poteſt ex revelatæ Religionis vi, atque natura, quæ talis eſt, ut cum naturali religione maxime conjuncta, & copulata esse videatur. Quis enim non videat, antequam Idololatris persuadeamus, aut suadeamus Atheis, esse Deum Trinum, qui, quæ sequenda sunt, quæ fugienda, præscripsit, necesse esse, ut ratione quidem, atque momentis à Philosophia petitis prius demonstremus, extare Deum, unum sane, ac rectorem, Gubernatoremque Universi, qui sit mens soluta, & libera, & secreta ab omni concretione mortali? Si autem hæc naturali ratione præstamus, quandoquidem naturæ religio à naturæ lumine, atque à ratione orta eſt: quispiam per se intelligere etiam poteſt, sæpe revelatam religionem ratio-

rationem humanam sibi adsciscere. Quando autem auctoritate Majorum probare student Adversarii nostri, nullum esse rationis usum in Theologiam: nos contra eorumdem Majorum auctoritate probamus item Theologiæ non semel rationem fuisse opitulatam. Porro autem id vel in primis colligere possumus Act. 4. 20. 2. Petri 1. 16. 18. 1. Cor. 15. 5. & 6. quibus in locis videre est, libenter Apostolos ad testimonium sensuum externorum provocasse: multoties etiam ad sensum intimum, & intestinum, præsertim vero Paullus 1. Cor. 11. 13. ubi loquitur in hæc verba. *Vos ipsi judicate: decet mulierem non velatam orare Deum?* & 10. 15. *Ut prudentibus loquor, inquit, vos ipsi judicate, quod dico*. Rom. autem 8. 24. nonne Apostolus spei descriptionem ex humana Philosophia duxit? *Spes autem, quæ videtur non est spes, ait: nam quod videt quis, quid sperat*; hæc autem si recte ponderentur maxime facere possunt ad ostendendum rationis usum licitum esse in Theologia ad ea saltem demonstranda, quæ revelata religio ex naturali religione quodammodo hausit. Fateor siquidem plura esse dogmata, quę nobis sola religione illuminata, (ut loquitur Lateranense Concilium), innotuerunt: ajo tamen nonnulla ex illis, Divinis non modo oraculis, sed ratione etiam humana majores nostros comprobata voluisse. Hujusmodi est illud Joannis 4. 24. *Spiritus est Deus,*

 & eos

& eos qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate, opportet adorare: & illud Luc. 24. 39. *Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere;* quibus verbis perſuadere Chriſtus Dominus volebat Diſcipulis ſuis, quod naturali ratione cognoſci non poterat, ſe vere ſcilicet e mortuis reſurrexiſſe. Attamen non ſolum in iis adhibitam fuiſſe rationem, compertum eſt, verum multo magis in ſacrarum litterarum interpretatione ſæpe illam Apoſtolos adhibuiſſe, tam mihi certum eſt, quam quod certiſſimum. Iterum Paullus illa verba interpretans, *Omnia ſubjecit ſub pedibus ejus*, colligit, ratione duce, Patrem non propterea ſeipſum Filio ſubjeciſſe: atque altero etiam in loco ex ea ſententia: *Adam primus factus eſt animal vivens:* infert Apoſtolus, quod animale, quod eſt, ad regnum Dei ſpectare non poteſt: item ex iis verbis: *Benedicentur in eo omnes gentes: juſtus ex fide vivit &c.* concludit non per legem, ſed per gratiam hominem *juſtificari*.

Quid? quod idem Apoſtolus non quodcumque obſequium præſtandum nobis eſſe fidei exiſtimavit, ſed *obſequium rationale*, quod nempe potiſſimum deceat animal illud, quod particeps, & compos rationis eſt, quodque ſi proclive nimis ſit ad credendum, in illam turpem notam incidat, oportet, qua inuruntur Eccleſiaſt. 19. 4. *Ii homines, qui leves corde appellantur*. Quod ſi nihil prorſus virium,

& fir-

& firmamenti ad sacram doctrinam, quodammodo roborandam, firmandamque humanum lumen haberet, cur ad purgandam, & ad acuendam ingenii aciem Deus Salomoni infudisset humanarum rerum, caussarumque scientiam, *Ut sciret dispositionem Orbis terrarum, & virtutes elementorum, divisiones temporum, stellarum dispositiones, naturas animalium, vim ventorum, differentias virgultorum?* Non enim D. O. M. sapientem præ omnibus Regem hunc vocavisset, nisi hæc voluisset ad sapientiam plurimum posse conferre.

II. Præterea. Qui fieri potest ut refellere Idololatras multos, multosque Atheos valeamus (quorum agmen, qui adorti sunt, utinam non cogissent modo, verum etiam omnino disperdissent:) nisi ab humana ratione, & ex lumine Phylosophiæ argumenta depromantur ad conterendos rudes homines, perditosque? & sane non alia de causa Clem. Alexan. strom. l. 1., scientias humanas omnes Theologo necessarias esse putavit, nisi ut nullo negotio *Phylosophos Paganos lucrari posset*, atque hoc modo unusquisque *perfectus Christianus redderetur*, ut etiam l. 5. auctor dissertus ostendit, exemplum hac quidem in re Apostoli sequi velle profitens, qui docere se ajebat, in omni sapientia, *Ut exhiberet omnem hominem perfectum in Christo*. Quod sane ponderans Augustinus *Per humanam scientiam, dicebat, non nutriri modo, & defendi, sed gi-*

gni fidem: & passim solitum fuisse virum summum hæc proferre, accepimus : *Alia esse, quæ nisi intelligantur, non creduntur, alia quæ nisi credantur, non intelliguntur*. Quod si idem Vir sanctissimus Manichæos castigandos esse duxit, qui repudiare omnia consueverunt, jure id quidem duxisse, censemus, ut aliquando scilicet nefarii homines jocularem errorem agnoscerent, in quo versabantur, ac faterentur tandem rationem nunquam religioni præpositum iri debere, quamvis nonnunquam opitulari illi, queat. Non enim nos in ea sententia sumus, ut existimemus non esse assensum fidei præstandum, si id ratio vetare videatur humana, ut perperam Manichæi dixere olim, nunc vero affirmant Sociniani : sed ii sumus, qui arbitramur sacram doctrinam reapse docere nihil, quod rectæ rationi opponatur : Quid ni ita est? pessime igitur Patres in Conciliis fecisent, qui opiniones, & errata plurima hæreticorum monumentis, & testimoniis sacrarum litterarum non solum, sed monumentis etiam ratione comparatis, refutata voluere. Pessime Justinus, Ireneus, Eusebius, Lactantius, Arnobius, Augustinus, aliique magni quidem Theologi, ac nobiles, qui refellere pravas Philosophorum antiquorum opiniones cum vellent, id unum sunt demonstrare conati (demonstrarunt autem meridiana luce clarius) consonam magis humanæ rationi religionem

gionem Christianorum esse, quam fuerit unquam Veterum philosophia; quod siquidem rationibus ab humano lumine haustis, egregie profecto, ac rectissime confecerunt.

III. Tandem, cum idem sit Pater luminum, qui nobis rationem indidit, ac religionem manifestavit, quid est, quod doceat religio, adversari autem humano lumini queat? Fluit quippe ab eodem fonte, sive per philosophiam, sive per religionem veritas omnis: non est igitur credendum veritatem veritati adversari posse, nisi perperam existimare velimus, Deum minime constare sibi, sed interdum insinuare pugnantia. Frustraneum enim vero, ne dicam detrimentosum esset humanum rationis lumen, si aptum dumtaxat esset ad demonstranda ea, quæ contra religionem facere possent, præsertim cum religio illa tradat, quæ tum ad intelligentiam informandam, atque illustrandam idonea sunt; tum ad totius vitæ cursum moderandum summopere necessaria. Unde Lactantius Divin. instit. l. 2. 7. *Dedit Deus*, inquit, *omnibus pro virili portione sapientiam, ut & inaudita investigare possent, & audita perpendere.* Igitur est etiam in re Theologica adsciscenda ratio, si tamen res ipsa patiatur, quod si minus, tum ajo, studiose nimis adsciscendam non esse.

Quoniam autem non modo non rationales homines in animo est refellere, sed So-

cinianos quoque, qui ad extremam alteram partem declinantes, si quidquam religio doceat, quod mentis nostræ lumini opponi videatur, unam rationem (religione nempe susque deque habita) sequendam esse asseverant: idcirco fidem rationi semper præpositam iri debere ostendamus, ac proinde Sociniani, qui in maximo errore versantur, hæc pauca accipiant contra.

I. Nam si omnia placita revelatæ religionis essent comprobanda ratione: nullum profecto mysterium esset, arcanum nullum, ac nullum prorsus Sacramentum. Quis autem hæreticus, & quotus fuit, qui pravam opinionem suam philosophia, & ratiocinatione non studuerit confirmare? An non est facillimum ratione decpi quempiam, quæ multoties dubia est, atque fallax? Præclaræ August. l. de moribus Ecclesiæ: *Quia caligantes*, inquit, *hominum mentes consuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum, vitiorumque velantur, perspicuitati, sanctitatique rationis aspectum idoneum, intendere nequeunt, saluberrime comparatum est, ut in lucem veritatis aciem titubantem, & veluti ramis humanitatis opacatam, inducat auctoritas.*

II. Deinde nulla est obedientia, quæ certe maxima religioni præstanda est, ut præceptum legimus Deuter: 17: *Neque ullum est meritum fidei, si humana ratio*, ut Gregorius ait; *præbeat experimentum*. Qua de re Augustinus

nus item loquutus eſt in hæc verba : *Hæc laus fidei, ſi id creditur, quod non videtur, ſecundum illam Domini ſententiam quando Diſcipulum arguit dicens : quia vidiſti me Thoma credidiſti : beati qui non viderunt, & crediderunt .... nam quid magnum eſt* (pergit) *ſi id creditur, quod videtur .... non hoc credidit* (nimirum Thomas) *quod vidit : ſed aliud vidit, aliud credidit*. Vidit *enim hominem, credidit Deum*. Quamobrem ratio credendi ſola Divina *veracitas*, ut noſtri loquuntur, cum ſit propter quam Deus nec falli, nec fallere ullo modo poteſt; apparet profecto, tum claris rebus, & conſonis rationi, tum obſcuris, quaſique diſſonis (neque enim proprie diſſonæ eſſe queunt) omnino aſsentiendum eſse, dummodo ratum, certumque ſit, eas Divinum Numen manifeſtaſse. Ex quibus colligunt Theologi, & Patres Jacobum Apoſtolum jure optimo ſanxiſſe, *Qui deficit in uno, factum eſſe omnium reum*; propterea ſcilicet quia radium alterum à ſole fluens, qui intueri non vult, nullos proſpiciat neceſse eſt. Neque enim alia fuit religionis natura umquam, vel ſi ipſos Idololatras conſulamus; nam Jamblicus de Diis agens, qui quamvis ſoluti ſint, & à corpore liberi, corporeas tamen voces audire valent, inquit: *Verum ſi tibi id incredibile eſſe videtur, nec ſane intelligere potes, quo pacto res incorporea vocem exaudiat : cum ea quæ à nobis in preculis proferuntur ſine ſenſu, & ſine auribus percipi nequeant*

queant, *libenter obliviſceris*, *quanta ſit amplitudo*, *quam magnifica*, *excellenſque Majeſtas*, *preſtantiaque cauſarum primarum*. Faceſſant igitur, qui placitum religionis nullum volunt, quod ceu fulcro fulcitum ratione non ſit, ac tandem per quas tenebras ſeſe volutent, agnoſcant. Et hæc contra Socinianos ſint ſatis.

Nunc ad non rationales homines (ſi tamen non rationales eum ſint, homines eſſe queunt) rurſus oculos, mentemque convertamus, ac quæ nobis opponunt, non populari quadam trutina, ſed Aurificis ſtatera examinemus.

I. Illi Porro, ideo rationem in Theologia floci faciendam eſſe arbitrantur, quia arbitrantur divinarum rerum intelligentiam, nos nullo modo aſſequi ratione poſſe, quam tamen optime aſſequimur ſolo *Fidei* lumine: ac propterea ajunt Iſaiam 7. 9. dixiſſe: *Niſi credideritis*, *non intelligetis*, que verba explanans Auguſtinus tract. 20. in Joannem, *Credimus*, *inquit*, *ut agnoſcamus*, *non cognoſcimus*, *ut credamus*, *quod enim cognituri ſumus*, *nec oculus vidit*, *nec auris audivit*, *nec in cor hominis aſcendit*. *Quid enim eſt fides*, *niſi credere*, *quod non vides*? *Fides ergo eſt*, *quod non vides credere*, *veritas quod credidiſti videre*: quo cum concinere & Gregorius videtur, qui l. 2. moralium 33. docet *Sapientiam Dei noſtri fidem eſſe*. Hinc eſt quod Philoſophiam in ſacris litteris *occupationem peſſimam*, legimus appellatam, à qua nihil hauriunt homines, *ni-*

ſi

si vanitatem, & *spiritus afflictionem*. Nam de philosophia, deque humana ratione explicandæ videntur sententiæ illæ celebratissimæ Prov. 5. *Ne intenderis fallaciæ mulieris: favus enim distillans labia meretricis ...... quare seduceris fili mi ab aliena*. Quæ si vera sunt, (inquiunt homines vaferrimi), neque erit alienum à veritate, nullum esse usum rationis, & philosophiæ in rebus iis, quæ pertinent ad religionem, quarum rerum veritas nullo modo est ab humano lumine, sed à fide dumtaxat repetenda.

II. Addunt præterea Apostolos numquam usos esse ratione, neque ad imbuendos *imperfectos* inter quos nihil se scire, dixit Paulus, *nisi Jesum Christum*, & *hunc Crucifixum*: neque ad erudiendos perfectos, quibus cum *non agere sapientia hujus sæculi*, *neque Principum* hujus sæculi idem Apostolus professus est. Quin etiam hunc virum sanctum, & egregium ita philosophia, & quæcumque humana disciplina fastidit, ut Colossenses monuerit, adessent animis, *Ne quispiam eos deciperet per philosophiam*, & *inanem fallaciam*: pollicitusque est Corintiis *Se perditurum sapientiam Sapientium*, & *prudentiam prudentium reprobaturum*.... *Ubi sapiens*, inquit, *ubi scriba*, *ubi inquisitor hujus sæculi? nonne Deus stultam fecit sapientiam hujus sæculi?* propter quam rem postquam asseveravit, humanam scientiam *inflare*, scripsit tandem Timotheo discipulo suo; *Si quis non*

acquie-

acquiescit sanis sermonibus, & ei quæ secundum pietatem est, doctrinæ; superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones: ut sane ostenderet ab humana ratione non oriri nisi vitia; virtutes vero christianas à sola religione, veluti à perenni fonte manare.

III. Quam profecto doctrinam (inquiunt illi) majores nostri ad unum omnes secuti sunt, propatereaque scripsit Gregorius Nazianzenus or. 2. con: Jul: *Disciplinam nostram esse Pythagoræam*, illud nempe spectans, quod de Pythagoræis ferunt: *tantum in illis præjudicatam potuisse opinionem, ut sine ratione valeret auctoritas*. Neque alia de causa Hieronymus negavit decere Doctorem Evangelicum præsidio rationis niti, nisi quia *Baculum hunc*, ut ipse loquitur in cap. 10. Mat: *arundinem esse*, cognovit, *quem si paululum presseris, frangitur, & manum perforat incumbentis*; proinde *Sacrilegum* in cap. 31. Hierem: esse existimavit, *in verbis Dei humano sensu argumentari*. Sed & Augustinus id contra Felicem Manichæum disputavit sine hæsitatione prorsus ulla asseverans, scientiam de cursu Solis, & Lunæ, deque hujus generis rebus *Inutilem Christiano esse, ac sufficere, ut homines de his rebus propter humanos usus noverint id, quod in schola didicerunt, scilicet priusquam ad Christianam religionem converterentur:* quod dixerant ante Augustinum Epiphanius, & Ambrosius, quorum alter hæresi 76. c. Aetium constantissime affirma-

mavit, illi nihil penitus *Revelare Deum*, *qui de ipso per Syllogismos ratiocinatur*: alter vero asserere non dubitavit, Astrologiam, atque divinatrices artes, cæterasque humanas disciplinas, ad beatam vitam nihil prorsus conferre posse, quæ omnia IV. deinde Cartaginense Concilium approbavisse Gratianus d. 37. Vir doctissimus, fidem facit. Quod si ita habet, consequitur (pergunt) nihil minus ad religionem confirmandam, valere posse, quam ratio, ac perperam facere propterea illi, qui eam adhibent in Theologia.

IV. Et sane si ita facti, comparatique sumus, ut quod ratione colligimus, ratum illud, perspectumque habeamus: quì fieri quæso poterit, ut suffragari fidei humana ratio valeat, cum fides res obscuras tantummodo debeat investigare? monuit propterea Ambrosius Sacram: l. 1. *Tollenda esse argumenta, ubi quæritur fides*: à cujus sententia ne transversum quidem unguem discessit Augustinus, qui in psal: 117. habet *Fidem præcedere debere intellectum, ut sit intellectus fidei præmium*: quem discipulus Fulgentius adamussim secutus est; scripsit etenim ad Petrum Diaconum: *Fidem esse virtutem, qua creduntur, quæ non videntur: nec quidquam in Catholica Ecclesia fieri potuisse salubrius, quam ut rationem præcederet auctoritas*. Quod quidem veteres Christiani cum agnovissent, scimus Cathecumenos solitos fuisse admonere, teste Cælso, hisce verbis, *Exami-*

minare noli, crede dumtaxat; quæ sane monita hauserant à Divina Lege, quam tradidit Deus nude, ac breviter: *Nullo modo argumentis asserens voces suas*, ut Lactantius loquitur Instit: l. 3. 1. *tanquam fides ei non haberetur, sed ut oportuit est loqutus, quasi rerum omnium maxime judex, cujus est non argumentari, sed pronunciare verum*. Unde Seneca de Platonis legibus loquens epist. 144. ait, non probo, quod Platonis legibus *adiecta principia sunt. Legem enim brevem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur, velut emissa divinitus vox sit; Jubeat, non disputet. Nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius, quam lex cum Prologo. Mone, dic quid me velis fecisse: non disco, sed pareo.* Quid magis igitur inconditum (ajunt) quam in Theologia humano lumini locum dare, ubi nullus esse potest humanæ rationis locus?

V. Quod si rationem ipsam contemplabimur (inquiunt recentissimi Nebulones) ipsi, vel per nos intelligemus hanc profecto in regno fidei obire munus nullum, posse. Quippe cum effata omnia philosophiæ ab humana ratione nata sint, nihil autem sit, quod facessere religioni negotium valeat magis, quam unum, aut alterum hujusmodi axiomatum: hinc colligendum esse putant, infici à ratione universam religionem. Quotus enim (addunt) quisque est, qui plane ignoret:

Quadratasque procul turres cum cerminusUrbis
Propterea fit, uti videantur sæpe rotundæ,

An-

Angulus obtusus, longe quia cernitur omnis,
Sive etiam potius non cernitur &c.

Igitur, inquit Bælius si turres procul, cum spectamus, non modo diversæ apparent ab iis, quæ in se sunt, sed etiam contrariæ; quandoquidem inficias iverit nemo, inter se rotundum, & quadrum plane opposita esse: ita cum investigamus illa, quæ supra rationem collocata sunt, non modo diversa prorsus apparebunt ab iis, quæ in se omnino sunt, sed revera contraria. Ergo contra rationem est, quod est supra rationem. Neque enim fieri potest, ut quæ pro religione facere videntur, ratione humana defendere possimus, quoniam quæ ratione humana sese tueri volunt, debent esse ipsi rationi perspecta: alioquin fallacias fallaciis detrudimus, non autem sophisma clarissima argumentatione confutamus. Quapropter nullus esse in rebus divinis rationis usus posse videtur.

Hactenus non rationales Theologi. Sociniani vero, qui ab his non verbis tantum, sed maxime rebus discrepant, utpote qui rationem præponendam esse religioni putant, ad hunc plane modum ratiocinantur.

I. Cum nobis inquit, tribuerit D.O.M. Mentis intelligentiam, non secus ac religionem revelavit, si falli ab illa possemus non minus Divinum Numen in causa esset errorum nostrarum, quam si per revelatam fidem ipse nos falleret. Nempe cum lumen illud, quod signa-

ſignatum eſt ſuper nos, ut Propheta loquitur non ſit niſi humana ratio, quæ hominibus ſingulis indita eſt à natura, ſit ea quoque à Deo profecta, neceſſe eſt. Præclarè ſanè Paulus, cum rationes à natura inditas, manifeſtas eſſe dixiſſet, illas ſtatim ad Deum, veluti ad auctorem ſuum, revocavit. *Quod notum eſt Dei*, inquit, Rom. 1. *manifeſtum eſt illis, Deus enim illis manifeſtavit. Num per Angelos? num per Prophetas? num per Apoſtolos?* minime id quidem*: ſed inviſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*. Quæ, cum ita ſe habeant, quid eſt cur dicamus, poſſe naturam nos in errorem inducere per inditam rationem, per *revelatam* vero religionem beatum Numen non poſſe? non differt enim à natura Deus. Aut ergo utrumque valeat oportet, aut certè neutrum. Videte hominum arrogantiam, atque dementiam, ſed agamus, quod inſtat.

II. Nihil eſt enim, quod nobis perſuadere queat (pergunt) quæ in eumdem finem cædunt, pugnantia inter ſeſe aliquo pacto eſſe. Quapropter ſi ad Deum, ceu rivuli ad fontem veritatis ſunt ratio, & religio ordinatæ, ſint illæ quoque oportet inter ſe plane concordes. Quod ſi religioni opponitur ratio numquam, quandoquidem ratio intimior nobis eſt, quam religio, huic præſtare ſemper illa debebit, atque præponi fidei, quæ certe eſt homini adventitia. Egregie

gie Lactantius l. 2. 7. *Quare cum sapere, idest, veritatem quærere omnibus sit innatum, sapientiam sibi adimunt, qui sine ullo judicio inventa majorum probant, & pecudum more ducuntur.*

III. Rursus, ajunt, an non est dicendum Deum in Sacris Litteris se humano ingenio accomodasse, proindeque explicavisse multa *parabolis*, multa *exemplis*, ac multa verbis enucleasse, ut posset quispiam capere ab iis, quidquid ad bene, beateque vivendum conducere valet? quid ni ita est? frustranei alioquin, ac detrimentosi libri sacri fuissent, si nonnulla comprehendissent, quæ intelligere, & meditatione complecti, posset nemo. Enim verò hominem cum ita finxerit Creator, ut comparare cuncta sibi debeat ratione, profecto in fallaciam traxisset illum, si legem servandam illi mandasset, jussissetque assentiri iis rebus, quas capere humana mens non valeret. Quæ sane, cum animadvertisset Apostolus, tantum negotii ei facessere potuerunt, ut scriberet propterea ad Corinthios 1. 2. *Datam esse unicuique manifestationem Spiritus ad utilitatem*, ut hinc sane intelligeremus tantum nobis luminis, & intelligentiæ datum à Spiritu fuisse, quantum sufficeret ad doctrinam Christianam percipiendam, quam proculdubio ignoret aliquis, Deus non patitur. Quapropter, si quædam semper obscura visa sunt, argumento esse queunt, voluisse Deum illa nobis occulta esse, neque assensum nostrum cogisse; sed non esse eadem

temere investiganda, nec ullo pacto credenda.

IV. Tandem pergunt religionem naturalem nobis solo naturæ lumine innotescere, vocatamque propterea fuisse ab Apostolo *Legem scriptam in cordibus nostris*. Igitur revelata religio opponi naturali numquam debebit. Quemadmodum etenim lex à Deo lata non opponitur naturæ præscriptis: quin etiam à naturæ lege quodammodo originem trahit, ut Christus præ se tulit in responsione ad legisperitum, quando locutus est in hæc verba: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota mente tua, hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum*; Deinde concludit, *in his duobus mandatis universa lex pendet, & Prophetæ*: sicut itaque pendet Divina lex à naturæ lege, ita naturæ religio fons debet esse fidei revelatæ, nec quicquam hæc contra illam docere potest; nec nos, si nonnihil oriatur ex ea, quod naturæ præscriptis, ac lumini humano adversari videatur, assentiri, aut sequi id ullo pacto debemus. Igitur non est dimittenda ratio, ut religionem sequamur.

Ita sane Sociniani disputant, quasi christiani non essent. Sed hisce rationibus satis plene facere studebimus postea. Nunc non rationalium hominum agmen aggrediamur.

Ad I. Primo autem loco opponunt sacrarum litterarum auctoritatem, quod cum faciunt, sane pueriliter faciunt; nam si fieri non potest, ut eruatur veritas e scriptura sine be-

beneficentissimi Numinis auxilio illustrantis quidem imbecillem intelligentiam humanæ mentis: quis inficias iverit, rationem humanam necessariam esse etiam in rebus credendis, neque ullo pacto à religionis finibus exterminandam? Quod etiam ex illo Divinarum litterarum textu, qui in manibus est, erui, ac colligi quidem potest. Non enim legimus nos apud Isaiam. *Nisi credideritis non intelligetis*. Sed legimus: *Nisi credideritis non permanebitis*. Quam sane lectionem magis congruere instituto Prophetæ, ii omnes sciunt, qui non sine rationis auxilio interpretandam esse Scripturam sciunt. Nam Dominus per Isaiam Judæos alloquens, hostium suorum arma timentes, paventesque, minatur illis, si fidem non habeant Domino Deo suo, sed ad Assyrios confugiant, fore ut tandem dispersurus sit eos per Asiam universam Deus. Ita Hieronymus, & Rupertus.

Verum ut cum adversariis nostris vel liberalissime agamus, demus textum hunc legendum esse, ut septuaginta Interpretes verterunt: Nunquid inde consequitur, rationem esse à Theologia omnino explodendam? nihil profecto minus; certum est quippe Isaiam hoc loci non agere ea fide per quam Religio est constituta; certum est præterea majores nostros non semel usos esse ratione: cur nos igitur repudiabimus illam? at ex R. P. Gregorio qui veluti supra in laudata verba Prophetæ docuerat, fidem nostram esse, Dei Sapientiam;

 Sic

Sic in idem Prophetæ caput verba illa explanans: *Cum ſagittis , & arcu ingredientur illuc* ; teſtatur L. 19. Moral. 28. *Sanctos Apoſtolos ad feriendam Gentilis vitæ duritiem , cum diſtrictis verborum ſpiculis veniſſe :* ex quibus verbis ſatis, ut mihi videtur , colligere poſsumus , neque Iſaiam , neque Gregorium uſum rationis in rebus fidei damnaſse . Quis autem audiens, majores noſtros adhortos gentilium agmen, ſpiculis fuiſse verborum , ſtatim non intelligit rationum momenta , ſpicula illa ſignificare , dummodo animadvertat Idololatras omnes ſacras litteras nihili prorſus duxiſse? unde rectiſſime Auguſtinus de Trini. l. 14. 1. earum rerum , quæ ad fidem pertinent , in duo veluti genera tribuit , quorum alterum eas comprehendit , quæ niſi intelligantur , non creduntur , alterum vero illas complectitur , quæ niſi credantur , non intelliguntur . Nam ſi obſcurarum rerum genus ratione humana clarum , & perſpectum efficere velis, nihilo plus ages, quam ſi des operam , ut cum ratione inſanias . Nimirum ſi fidei natura in eo ſita eſt , ut ſit obſcura, immutetur opportet, adeo ut fides non ſit amplius, ſi clara fiat, atque perſpecta. Atqui ſi velis, quæ religione majorumque auctoritate certa ſunt, item ratione humana certa facere, id profecto ages, ut quæ jam habes, rata confirmataque habeas. Quæ omnia Auguſtinus l. 2. de lib. arb. perpendens, ut oſtenderet hominis arbitrium naturali ratione eſse in bonis enumerandum , ab
oſtenſio-

ostensione divinæ naturæ exorsus, ad controversam veritatem, quasi per gradus demonstrandam descendit. Ergo tam falsum est Isaiam, Gregorium, Augustinum putasse, rationem religioni opitulari numquam posse, quam quod falsissimum. Quin etiam Augustinus hanc in fidei rebus regulam præscripsit ad Laurentium l. 1. 1. *Ut quæ credi, quæ sperari debeant, quæ amari sola religione sequantur: Is vero, qui contradicit, aut omnino à Christi nomine alienus est*, inquit, *aut hæreticus*: & paulo post de iis agens, qui nostram religionem impugnant, *Eam esse defendendam ratione*, ait, *quæ vel à sensibus corporeis incboata, vel ab intelligentia mentis inventa est*. Quod quidem l. 4. de doct. Christ. confirmavit hisce verbis: *Ut autem quæ dubia sunt, certa fiant, documentis adbibitis, ratiocinandum est*. Neque enim naturæ lumen ab humanis divinisque rebus tollit, qui disputationes de motu syderum, de ortu rerum interituque tollit: siquidem in hisce rebus versandi libidinem, vanitatem appellat, & sane quidem, quoniam parum, aut nihil hortuli nostri hujusmodi rivulis irrigari queunt. Quapropter Hieronymus in 10. caput Eccles. *Lege*, inquit, *Platonem, Aristotelem, revolve versutias: Zenonem, & Carneadem diligentius intuere, & probabis verum esse, quod dicitur, labor stultorum affliget eos. Veritatem illi quidem omni studio quæsierunt, sed quia non habuerunt ducem, & prævium itineris, & humanis sensibus rati sunt, se*

comprehendere posse sapientiam, ad Civitatem minime pervenerunt &c. ex quibus luce ipsa clarius intelligitur, utrumque auctorem, eos dannavisse Philosophos, qui perperam ratiocinantes, beatam vitam in contemplatione Universi, vel in ea, quæ ex contemplatione oritur, voluptate, collocata esse voluerunt. Præclarè igitur Salomon Philosophorum meditationes pessimas occupationes appellavit, quod & molestissimæ sint, & ad eum finem minime ordinatæ, in quem actiones humanæ omnes cædere debent. Nullo quippe modo Rex Sapientissimus, quæ à recta ratione est scientia humana, meretricem vocare poterat, qui Prov. 27. dixerat *Stude sapientiæ, fili mi, & lætifica cor tuum, ut possis exprobranti respondere sermonem*. Quod si de humana scientia ibi loquitur (quod plerique nolunt, sed de cæca voluptate locutum faciunt, quam Plato escam malorum, vocare consuevit) certe de illa loquitur scientia, *Quæ dulcedine eloquentiæ consperſa, non ad sufficientiam solummodo, verum etiam ad superfluitatem resonat in ore hæreticorum*, ut Beda enucleavit; quod sane studium ab temeraria quadam animi confidentia oritur, quod item damnavit Augustinus apertissime in Libris, potissimum illis quos de Civ. Dei inscripsit, ubi pessimos, confidentesque sanctarum scripturarum criminatores strenue depressit.

Ad II. Verum si illi, qui ad Evangelium prædicandum missi fuerunt à Christo, non lumine fidei solum, nec miraculis tantum, sed etiam

etiam humanæ rationis viribus,& neruis usi sunt: quid est,quod homines isti euripo levissimo leviores, ne mentis aciem Theologus adhibeat,impedire conantur? minime quippe nos latet,tantum sapientiæ, ac luminis divinum Spiritum Magistris Ecclesiæ indidisse, ut posteri, & æquales eorum eruditionem, solertiamque semper sint admirati. Quoties Paulus ad refellendam falsam, ne dicam nefariam hominum profanorum scientiam, antiquorum philosophorum dictis, & rationis etiam humanæ momentis nostræ religionis placita corroboravit? quemadmodum Athenis præclare ex Arati sententia fecit, ita apud gentes cæteras non semel præstitisse, certum est.

Quapropter duplicem distinguit Apostolus humanam scientiam: eam etenim, quam nefariis opinationibus suis inquinarunt Philosophi, hujus sæculi sapientiam appellare consuevit, ac de illa fuisse locutum censemus, cum docuit *Stultam fecisse Deum &c. nolle agere scientia &c.*: illam vero qua ornatos esse Presbyteros voluit: *Ac qui bene præsunt duplici honore dignos haberi, maximè qui laborant verbo, & doctrina*; utpote sinceram, & ab omni sorde defecatam damnavisse nunquam, ex eo fit manifestum, quod eam pluries Apostolus adhibuit, potissimum vero ad ostendendum Atheniensibus, quem colebant ignotum Deum: Numen esse illud, quod Christiani venerabantur. Hinc est quod idem Apostolus dum *Scientiam inflare* ait, atque qui eam sequi-

 tur,

tur, *Languere circa quæstiones*, seque ea uti nolle professus est, hinc est inquam, quod tunc locutum esse Apostolum de sapientia hujus sæculi interpretamur, qui scimus laudatis in locis Doctorem gentium eorum Philosophorum errores refellisse, qui in Magia exercitati universæ Græciæ admirationi erant, inter quos præcipue enumerantur à Baronio anno Christi 75. Masonius, Dio, Epictetus, Diogenes minor, Appollonius Tyaneus &c. Unde etiam scripsit ad Colossenses adessent animis, ne quis seduceret illos per philosophiam, *Quia Apostolus*, inquit, Tertul. l. de præscri. 7. *fuerat Athenis, ibique expertus linguatam Civitatem, cum omnes illic sapientiæ, atque facundiæ caupones degustasset, inde concepit præmonitum istud edictum:* quod autem dixerit, se inter imperfectos scire nihil, *nisi Jesum Christum, & hunc Crucifixum*; non propterea sequitur, scientiam omnem damnasse, sed imperfectis solam passionem, ac Christi mortem predicasse, ut testatur Hieronymus ep. 2. ad Nepot. *Ne*, scilicet, *clamorem potius populorum, quam lacrymas auditorum suscitaret*. Nihil igitur minus rationales Theologi probant auctoritate majorum, quam id, quod sibi profuerant ad probandum.

Ad III. Multo vero minus id Patrum, sanctorumque dictis, ac sententiis, adversarii conficiunt. Nam cum docuit Nazianzenus disciplinam nostram esse Pythagoream, id primo nem-

nempe docuit, tantum à nobis virium dandum esse auctoritati majorum, quantum firmamenti eadem habet, ut apud Pythagoreos, qui, sciscitanti cur res ita esset, soliti erant respondere, *Ipse dixit*; sed ulterius Nazianzenus voluit, ut quemadmodum Pythagoræ dogmata discipuli custodiebant alto silentio: ita religionis placita custodienda essent disciplina arcani, quæ ætate illa vigebat, & de qua egregie disseruit Schelestratus. Nihil temere dico, nam si legatur epistola ejusdem Gregorii ad Celeusium, in qua festivo Apologo, ipse se ab exprobrata taciturnitate defendit: apparebit profecto utramque dotem Christianis vindicare, non secus ac vindicarunt sibi olim Pythagorei, quos si summopere commendavit Julianus Apostata, concludit deinde Nazianzenus, in quem hic agit, non propterea debere Imperatorem, Christianorum damnare disciplinam. Hieronymus vero, cui aliquando minus polita Prophetarum oratio visa est, quanti humanum Consilium semper fecerit, ex eo vel in primis colligitur, quod in epistolis ad Augustinum haud hæsitaverit fateri, se aliquando contra veterum Interpretum opinionem sensisse, quod ratio, quæ inter dona *gratis data* enumerat Paulus, linguarum eruditione fulta, id sibi persuaserat, atque hoc modo, ait, se tueri potuisse ab calumniis delirantis hominis, quem Calphurnium, cognomento Lanarium, appellare consuevit, & quem fuisse Rufinum, ignorat nemo: itaque

itaque vir sanctus humanam rationem baculum arundineum merito vocavit, quod scilicet si nullis sit fidei argumentis stipata, facile frangitur, & jure quidem Sacrilegum dixit de verbis Dei humano sensu argumentari, quasi si judicare de verbis Dei, ac de Philosophorum sententiis nullo discrimine homines vellent, quod certe non dixisset, quando homines fidem præstare rationi, non autem rationem fidei fassi essent: ut reapse legenti historiam Viri sanctissimi, qui artes omnes, quæ ad scientiam conducunt excoluit, liquido proculdubio constabit. Neque enim nos in ea sententia sumus, ut credamus visionem potius, uti appellant, quam somnium fuisse illud, in quo Hieronymus monitus, ne Prophanis auctoribus navaret operam, fidem dedit: qui, certo scimus, & post monitum, & post fidem datam, & Plautum, & Terentium &c. non legisse modo, verum etiam perlegisse. Comentarios quippe in epist. ad Titum admodum senex elucubravit: porro fatetur in illis veritatem esse aliquam, quæ pietatem non habet, quæque præsertim in liberalium disciplinarum cognitione posita est, *Qua tamen*, inquit, *delectamur ad præsens*. Quis est autem, qui audiat liberalibus disciplinis veritatem inesse aliquam, & non intelligat continuo ea indigere Theologum interdum posse? ad Augustinum vero, quod attinet, tam certum est doctorem sanctissimum multoties ad confirmandum humanæ religionis placita, adhi-

hibuisse rationem, quam quod maxime. Enim vero in eo quoque textu, quem nobis hæretici opponunt D. P. pronunciat hujusmodi artes. etsi prophanas ad usus tamen humanos utiles profecto esse, non vero necessarias, ut perperam Manichæi volebant, ac propterea eodem lib. contra Felicem Manichæum profitetur, religionem munitam fuisse ratione, & si auctoritas principem locum tenet: *Imperatorem*, inquit, *fidei clementissimum, & per Conventus celeberrimos populorum, atque gentium, sedesque ipsas Apostolorum, arce auctoritatis munivisse Ecclesiam, & per pauciores piè doctes copiosissimis apparatibus etiam invictissimæ rationis armasse*: veruntamen id vel clarissime enucleavit, cum l. 4. doct. Chri., Doctoris Evangelici officium ita definit: *Debere divinarum scripturarum tractatorem, & doctorem, defensorem rectæ fidei, ac debellatorem erroris, & bona docere, & mala dedocere, atque in hoc opere sermonis conciliare adversos, remissos erigere, nescientibus quid agatur, quid expectare debeant intimare*. Quæ sane munera, dispeream, si adversarii negent, sine rationis usu, non dicam commode, sed ne ullo pacto quidem, explere nos posse. Sed veniamus ad Epiphanium, qui hæresi 28. docuit, quando legimus, *Prophetas extra se raptos fuisse*, non ita accipiendum esse, quasi ii tum rationis usum amiserint. Existimavit igitur rationis usum, & vaticinanti necessarium: dicendum itaque est damnare Epiphanium Ætium,

tium, qui cum Manichæis abutebatur ratione, prædicans præstare religioni: contra quod falsum, atque impium dogma scribebat Ambrosius quoque, quando damnatas voluit divinatrices artes, quas colere ad stomachum usque Manichæi non cessabant. Ceterum si uterque usum rationis in divinis rebus damnasset, uterque etiam peccasset. Nam Epiphanius multas hæreses refutavit non modo auctoritate religionis, sed multo sæpius rationibus non aliude haustis, quam à lumine naturæ. Ambrosius vero turpius etiam erravisset, qui librum de Officiis conficiens, multas regulas Christianis hominibus tradidit, quas ex natura, atque adeo ex humana ratione derivasse extra omnem dubitationis aleam positum est. Porro illis qui ad Cartaginensem Synodum confugiunt, ita responsum volumus, ex hoc sane Concilio nihil prorsus contra nos colligi posse: nam 1. d. 16. quod est à Gratiano laudatum, nihil profecto cautum est aliud, nisi quod Episcopi gentilium libros non legant, hereticorum autem pro necessitate, & tempore. Quod si hujus Concilii præscripta omnia legamus, intelligemus sane, Sanctam Synodum maximopere desiderasse, ut qui sacras Ecclesiæ infulas petunt, *Sint literati, in lege Domini instructi, in scripturarum sensibus cauti, in dogmatibus exercitati*: quod certe minime fecisset, si hæc intelligentiæ humanæ, atque rationis ornamenta floci fecisset.

Ad

Ad IV. Sed eo magis suomet gladio sese Adversarii nostri jugulare videntur, cum rationem à Theologia exterminantes, eam postea adhibent, ut majoribus nostris sententiam, quam defendunt minime displicuisse demonstrent. Eos cum Pyrrhoniis certe comparare, fas est, qui cohibendam assensionem esse in rebus omnibus autumantes, cum tandem ad opus aliquod ventum est, statim manus admovent, nec agere desinunt, nisi opus perfectum esse cognoscant. Ecquid est, si hæc maxima dementia non est? rationis usum non rationales homines à Theologiæ scola, excludunt omnem, quod faciendum Theologis cum persuadere student, ita ratiocinantur, ut rationales magis, quam non rationales dici queant. Sed ad difficultatem propositam aggrediamur. Ajunt igitur cum ratione fidem consociari nequaquam posse, propterea quod altera in perspectarum rerum contemplatione versatur, placet vero alteri res obscuras rimare. Bene est. Novum ne auribus nostris accidit, multa esse, quæ defendimus, quorum vim, & naturam minime cognoscimus, ac multa etiam extare adeo clara per se, atque perspecta, ut ratione confirmare nesciamus? aliud est siquidem caussam, & rationem cur res ita habeat in medio ponere: aliud rem ita esse demonstrare. Illud etenim pertinet ad rei naturam enucleandam, quod persæpe Theologus, nec debet facere, nec fortasse valet. Hoc autem spectat ad res

affir-

affirmandas, seu, ut nostri dicunt, ad rerum dumtaxat *existentiam* ostendendam, quod præstet Theologus, ita necesse est, ut nihil magis. Quapropter Ambrosius removet quidem à fide rationem, si audeat hæc religionis adyta introspicere, ac mysteria divina scrutari, non autem illam, ab sacræ sapientiæ limine censet expellendam, si fidei opituletur, quod uberrime profecto explicuit Aug. in psal. 34. rationem afferens cur Apostolus fidem *loricam* interdum, interdum *scutum* appellat: Scutum est, *quia tela inimicorum excipit, & repellit: lorica est, quia interiora sua transfigi non sinit;* item Discipulus ejus Fulgentius, qui in libro eodem, quem nobis non rationales opponunt prope finem scribit: tamen *si omnia, quæ in hoc opusculo continentur, recensere, & notissima prorsus habere non negligas, ex his poteris cauta discretione etiam de caeteris spiritaliter judicare.* Igitur putant laudati Patres ratione siquidem nostra nonnihil posse nos in rebus fidei moliri, quamquam ne id temere faciamus, prohibeant, Porro autem, quod attinet ad Cœlsum, placet nobis uti verbis origenis, quibus duo proculdubio præstabimus: nempe & ab criminatione veteris accusatoris, & ab reprehensione recentissimorum obtrectatorum causam nostram defendemus. Origenes igitur in opere contra Celsum l. 1. 2. ita loquitur*: Si mortales omnes, neglectis vitæ curis, in studium, meditationemque incumberent, non alia via foret*

opus

opus ad persuadendum illis religionem Christianam (ut enim nihil, quod quemquam offendat, dicamus) non minus apud nos, quam alibi reperietur accuratio, sive discutiantur dogmata, sive Prophetarum dilucidentur enigmata, sive explicentur Evangeliorum parabolæ, aliaque sexcenta, aut narrata historicè, aut symbolice repræsentata. Sed cum, & vitæ necessitas, & infirmitas humana paucos dumtaxat studiis vacare sinat, quænam cæteris omnibus juvandi via reperiri poterat expeditior illa, quam Christus adhibendam voluit in conversione Populorum? hactenus Origenes. Quis autem isthæc rectè perpendens, haud fatebitur fuisse in more positum, institutoque Majorum pro ratione, atque intelligentia in Theologia conari quicquam, quod solum imperitis vetitum fuit, ne, scilicet, rem ad errorem traducerent? neque enim veteres Sapientissimi id agentes ab Christi exemplo aberrabant. Siquidem Deus, ceu lator legis, mandatorum suorum, licet causam, aut rationem nullam attulerit; id præstitit persæpe Christus, tanquam legis interpres, & Doctor, qui & Mosayci repudii turpitudinem, atque causam explicuit, & ad fontem totius legis, quasi digitum intendit, & multa alia explanavit, quæ omittimus libenter, ne in rerum copia magis, quam delectu, delicias facere videamur. Sufficient hæc profecto, ad faciendam fidem licitum esse Doctori, interpretari legem, enucleare dogmata, eaque non semel argumentis ab humana ratione

tione petitis confirmare. Nam si Senecæ lex cum Prologo minime placuit, placuit eidem tamen animum hominis, ac mentem antequam legis præscriptis informaretur, abundare præceptis, institutisque Philosophiæ, quam sane *vitam legis*, appellare consuevit.

Ad V. Et re quidem vera quando veritas opponi veritati minimè potest, quia veritas omnis ex uno, eodemque ducta est principio; cur fieri nequaquam poterit, ut altera alteri vires suas valeat suppeditare? tametsi etenim philosophiæ effata placitis revelatæ religionis opposita videantur, secus se rem habere, comperiemus, si ea neque tam longe, neque tam late patere voluerimus; Nam à Philosophis si excogitata fuerunt ad res humanas explicandas, quid mirum ad divinas res inde traducta, si vires deficiunt illis, nervique? scilicet cum multa sint pronunciata in Phylosophia, quæ aptari singulis rebus minime queunt, ut celebratum illud, omne simile sibi simile gignit, quod falsum esse in spuriis animantibus docet Aristoteles in lib. de hist. animalium; atque alterum, ut plura omittamus, tritum in scholis vetustate proverbium, quæ eadem unitertio sunt, sunt etiam inter se eadem, quod numeris non congruere, Auctor est Plato in Parmenide; non propterea, inquam, falsa ea esse censendum est, si plerumque rem ita habere contingat. Etenim res divinæ alio modo institutæ sunt, atque humanæ.

na. Ex quibus non consequitur profecto, quod si divinas res intueri non possumus, eo modo, quo sunt in se; opposita inde ratione, easdem intueri debeamus, ut in turri accidit (Inventum Hercle præclarum, & per quem modo juravi, Herçule dignum) hoc enim vero ideo accidit intuentibus procul turrim, quia intueri volentes, habentesque objectas res, quidquam videamus oportet.

Hinc, uti suffugit sensum, simul angulus omnis,
Fit quasi tornata, ut saxorum structa tuentur;
Non tamen, ut coram, quæ sunt vereque rotundæ,
Sed quasi adumbratim paululum similata videntur.

Nimirum eminus intuenti, accidit, ut cum omnis angulus non cadit sub sensum oculorum, structuræ lapidum appareant tanquam rotundæ; non tamen vere rotundæ, sicuti sunt ea, quæ rotunda cominus intuemur, ut rectissime animadvertit Michael Fayus. Verum in Divinis rebus non ita sane evenit, quoniam in conspectu nobis positæ, minime cum sint, etsi spectare conamur, nihil tamen spectare prorsus valemus. Neque sequitur proinde, nullo modo posse nos illa ratione humana tueri, quandoquidem illarum rerum ideam habemus nullam; nam, ut supra monuimus, nostrum est non mysteriorum naturam pandere, sed

mysteria esse ratiocinatione confirmare. Quid ni ita est? nonne homo potest meatus, commeatusque maris, naturam, & rationem ignorans, meari, commearique Oceanum defendere? itaque non est necesse, ut humanæ intelligentiæ sit rei natura enucleata, ut propterea valeat affirmare humana ratio, rem ipsam extare. Redolent igitur argutationes Adversariorum purum, putumque commentum, nec tales sunt, ut valeant nos de nostra sententia dimovere.

Sed satis jam adversus humanæ rationis eversores disputatum est: nunc contra ejusdem morosos adstipulatores disseramus.

Ad I. Primo loco autem ajebant Sociniani, beatum Numen, neque per fidem, neque per rationem fallere nos posse. Bene est. Fateor æquidem Deum erroris causam non esse: nam si hallucinamur aliquando, non est rationis lumen, quod nos fallat, sed nosmetipsi mentis aciem, aut falsis opinationibus occupati, aut præjudiciis impediti in rem non satis exploratam ferentes, à veritate detorquemur. Tametsi quippe *Signavit Deus super nos lumen vultus sui*, non possumus ceu ex notis in religione quicquam proficere, cum sit lumen illud præsertim ad religionem ipsam ordinatum ut notavit Ambrosius l. 1. 17. alioquin quid religio conferret, quid revelatæ in sacris litteris, aut traditæ veritates, si omnia humanæ intelligentiæ radiis lustrare possemus. Quod

si Phi-

si Philosophi nonnulli, magni siquidem, atque nobiles Deum agnoscentes, *Non sicut Deum glorificaverunt*, quid est quod isti ajunt, repudiandam esse fidem cum à ratione discordare aliquo pacto videtur? nimirum si ita res esset, non diceret Paulus (quasi de Socinianis vaticinatione quadam loqueretur) quod *Sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum*, asserens, inquit Basilius l. de judiciis Dei *pœna hac mulctari, qui veram Dei cognitionem neglexerint*. Quare vel lubentissime damus lumen rationis numquam reapse revelatæ religioni adversari, ac si id contingat, specie tenus id fieri existimamus. Atque propterea humanam rationem assentiri & iis fidei nostræ misteriis, debere asseveramus, quæ pugnam cum eadem ratione, interdum videntur inire, hac præsertim de causa, quod rationi assentientes, humanæ rei; fidei vero, cum assensum præbemus D. O. M. revelanti assentimur, qui fallere, aut falli certe non potest. Præclare Augustinus explicans verba illa psal. *Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax*, inquit, *Et si de homine non debet quisque præsumere, utique nec de se ipso, quia homo est.*

Ad II. Quod sane eo magis fit manifestum, quod ratio, & religio ad eumdem omnino finem sunt ordinatæ, ut homo nempe, qui iis recte utitur citra fallaciam, & superstitionem Deum recte colere, ac bene, & beate vivere queat. Et si enim, quæ in eumdem fi-

nem cadunt, inter se adversari non debent, quamquam cum Deus ex malo bonum ducit, aliquo modo id fieri videatur, ut Augustinus animadvertit: non tamen consequitur propterea, ut cum accidit rationem contra religionis præscripta reclamare, illius potius adstipulatores debeamus esse, quam fidei: quod sane facientibus Manichæis, vitio vertit Augustinus, qui inquit l. 17. contra Faustum. 3. *Quia in Evangelio, quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potius, quam Evangelio creditis*. Scimus etenim proximum religionis auctorem Deum esse, quem fallere, aut falli non posse scimus, proximam porro rationis causam esse hominem, quem fallere, & falli persæpe compertum est; sint igitur suæ rationi vires, ac nervi, per me licet; sed sit judicii magistra religio, ac ratio suffragare discat fidei, si non licet majorem homini habere fidem, quam Deo. Egregie Lactantius in ea re inquit, *In qua vitæ ratio versatur, debet potius sibi quisquiam confidere, suoque judicio, ac propriis sensibus niti ad investigandam, & perpendendam veritatem, quam credens alienis erroribus decipiatur tanquam ipse rationis expers si esset*; ac dedisse propterea ait, *Deum pro virili portione sapientiam &c.* quod quidem dixit auctor disertus, ut repelleret illorum excusationem, qui Christi doctrinæ dare manus nolebant, majorum suorum auctoritatem opponentes: sed non propterea magis rationi docuit fidendum esse, quam fidei,

fidei, qui l. 3. 3., postea ait, *Mortalem naturam non capere scientiam, nisi quæ veniat extrinsecus:* proinde totius operis, veluti fundamentum jecit *Veritatem, idest arcanum summi Dei, qui fecit omnia, ingenio, ac propriis sensibus, comprehendi non posse ...... notionemque veritatis munus suum fecisse, ut & humanam sapientiam nullam esse monstraret, & erranti, ac vago viam consequendæ immortalitatis ostenderet.*

Ad III. Quæ cum ita se habeant apparet sane tantum facultatis tribuendum esse rationi, quantum ipsa religio patitur. Enim vero ex eo quod Deus cuncta, quæ in sacris litteris docuit, minime humano ingenio accommodavit, non propterea præpostere egisse dicendum est, quandoquidem, ut ait Chrysostomus hom: 44. in c. 33. Mat. *Non sunt scripturæ clausæ, sed obscuræ quidem, ut cum labore inveniantur, non autem clausæ, ut nullo modo inveniantur;* sed dicendum ex eo, lumen à fide, auxiliumque à Deo esse petenda, quæ quidem si presto erunt, abstrusa quæque, & difficillima intelligemus; ut testatur Hieronymus, qui verba illa psalmi explanans: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua,* inquit: *Si tantas Propheta tenebras ignorantiæ confitetur, qua nos putes parvulos, & pene lactentes inscitiæ nocte circumdari? hoc autem velamen non solum in facie Moysis, sed & in Evangelistis, & Apostolis positum est. Turbis Salvator in parabolis loquebatur, contestans my*

ſticum eſſe; *quod dicebatur*, *ajebat*. *Qui aures babet audiendi*, *audiat*. *Niſi aperta fuerint univerſa*, *quæ ſcripta ſunt*, *ab eo*, *qui babet clavem David*, *qui aperit*, *& nemo claudit*; *claudit*, *& nemo aperit*, *nullo alio reſerante claudentur*. Hec Hieronymus. Cui ſuffragatur item Auguſtinus l. 2. de doct. Chriſt. 4. *Qui eſſe dixit in ſcripturis ſanctis profunda myſteria*, *quæ ad boc abſconduntur*, *ne vileſcant*; *ad boc quæruntur*, *ut exerceant*, *ad boc aperiuntur*, *ut paſcant*. Ex quibus meridie clarius apparet, quam ob cauſam noluerit Deus omnes ſcripturæ textus captui noſtro accomodare; ſcilicet non ut myſteriis aſſenſionem noſtram minime præberemus, ſed ut peteremus ab eo Spiritum intelligentiæ, qui ſpiritu ſuo replevit orbem terrarum. Quare quæ inſtitutæ ſunt litteræ divinæ ad præſcribenda præcepta, claræ item ſunt: quæ vero myſteria comprehendunt, niſi ille ſpiritus explicet, qui ſcripſit, ut ferme loquitur Baſilius, certe intelligi non queant. Neque enim data *eſt unicuique manifeſtatio Spiritus ad utilitatem* (ut & illa refellamus, quæ perperam ſumpſerunt ex Paullo) ita ut ſint omnes Prophetæ, omnes Apoſtoli, omnes Doctores; ſed ita fuit diſtributa, ut alteri competat ſermo ſapientiæ per ſpiritum, alteri ſermo ſcientiæ, alteri gegenera linguarum &c. quoniam iſthæc unus, idemque Spiritus operatur, *dividens ſingulis prout vult*; Nihil eſt igitur cur dicamus tan-

tum

tum inesse nobis luminis, ut interpretari, atque intelligere scripturas valeamus, si ex eo hominum numero fortasse sumus, quibus non dedit Deus, nisi in eodem spiritu fidem?

Ad IV. Quando autem ajunt religionem revelatam à naturali religione ductam fuisse, non secus ac à naturæ lege lex Decalogi originem duxit, non confirmant sane quod volunt, sed plane infirmant. Quemadmodum etenim omnem legis naturæ vim, cum homines nequaquam intelligerent, necesse fuit, ut Deus per mandata Decalogi, quid fugiendum, sequendumue esset, non indicaret modo, verum etiam indigitaret: ita profecto, ut & quæ credenda essent, & quibus modis Numen Divinum colendum, Deus ipse præscriberet, opus omnino fuit. *Omnis autem Scriptura*, ut 2. ad Tim. 3. loquitur Apostolus, *Divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*. Censemus igitur nihil à fide doceri posse, quod rectæ rationi opponatur, sicut à Decalogi lege nihil pænitus traditur, quod rectæ item rationis adversetur præscriptis: sed dicimus nobis necessarias esse regulas quasdam, quibus contineatur quodammodo recta ratio, & quas ultro, citroque neque religionem, neque rationem consistere posse noscamus. Experientia quippe compertum fuit veteres Philosophos, qui una ra-

ratione nitebantur, multiplicem, pugnantemque tum de Deo, cum de honesto, ac turpi habuisse sententiam, quod expressit Cicero, cum in lib. de Nat. Deorum, agens de religione, scripsit: *Rem nullam esse, de qua tantopere, non solum indocti, sed etiam docti, dissentiant*: Ac de honesto, & turpi, Cornelius Nepos inquiens, *Non eadem omnibus esse honesta, atque turpia, sed omnia Majorum institutis judicari*. Quare Paulus nihil aliud suadere voluit, cum dixit, habere nos scriptam legem in cordibus nostris, nisi quod in extremo die perire debeant illi sine lege, *Qui sine lege peccaverunt &c.* Quin etiam ex eo, quod docet Apostolus, qui in lege peccant per legem esse damnandos, ostendit siquidem scriptę legis necessitatem, ut homines viam cognoscerent, cui sese tuto darent, quoniam ipse fassus est, *Non cognovisse peccatum, nisi per legem*. Sicut autem lex ferre fuit opus ad hominis naturam moderandam, perficiendamque, ita ajo summopere necessariam esse religionem ad cohibendum hominis consilium, atque absolvendum. Quod nempe humana intelligentia nullis obstricta religionis vinculis, eo hominem duceret, quo maxime cavendum est, ne ducatur. Hæc sunt, quæ de usu rationis in Theologia dicere habui, talia quidem ut si non erudita, & perpolito stylo exharata, vera tamen (aut ego fallor turpissime) & non fuco, ac calamistris inusta videantur. Vale.

Vir

Vir ſuaviſſime, & eloquentiſſime, meque ut amas, ama.

LAUS DEO.

ERRATA	CORRIGE.
Pag. 14. verſ. 1. ſequantur	ſequuntur
16. 24. annis	annos
17. 10. linguœ	linguæ
21. Polyglotas	Poliglottas
26. 24. Manethos	Maneton
28. & *alibi* hyſtoriam	hiſtoriam
31. Phaleræus	Phalereus
32. 8: 15. & *alibi* fæderis	fœderis
22. fatamur	fateamur
42. 5. creſcat	creſcas
43. 29. Chanaam	Chanaan
47. 16. molto	multo
49. 21. giarys	gyaris
52. 14. in pimis	in primis

	28.	Judeorum	Judæorum
53.	10.	Stefanus	Stephanus
	17.	Crifoftomus	Chryfoftomus
55.	11.	deleriqoe	delerique
56.	18.	queve	quæve
57.	26.	cætu	cœtu
		rrahere	trahere
59.	5.	que	quæ
	19.	Cirillus	Cyrillus
61.	7.	Etnici	Ethnici
64.	21.	& *alibi* Pirrhoniæ foholæ	Pyrrhoniæ Scholæ
72.	17.	decpi	decipi
	18.	præclaræ	præclare
74.	2.	preftantiaque	præftantiaque
79.	30.	noftrarum	noftrorum

Aliaque contra fcribendi fcientiam, quæ, oculorum aciem effugientes, irrepferunt, quæque fapienti lectori minime officient.

Nos Fr. VINCENTIUS DE COMITIBUS *a Bergomo Artium, & Sac. Theologiæ Doctor, S. Romanæ Vener. Inquisitionis Consul. in Romana Sapientia Publicus Theologus, ac Totius Seraphici Ordinis Minor. Conventual. post S. Patriarcham Franciscum Min. Gen.* LXXXIII.

CUm Opus, cui titulus est = *Epistolæ duæ de Pentateuchon Divinitus dato, & De usu rationis in Theologia* à P. M. Francisco Maria Leoni compositum; unacum duabus Epistolis P. Magistri Francisci Antonii Gervasii, duo ex Ordine Nostro Theologi de mandato nostro examinaverint, & in lucem edi posse probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos spectat, ita videbitur. In quorum &c.

Datum Romæ die 18. Aprilis 1736.

F. Vincentius de Comitibus Min. Gen.

Loco ✠ Sigilli.

Fr. Bonaventura Pompei P. Secr. Ord.

† A a b c d e f g h i j K l


m n o p q r ſ s t u v x y z

&

Vocali a e i o u

Ab eb ib ob ub

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
2	4	6	8	10	12	14	16	18	20
3	6	9	12	15	18	21	24	27	30
4	8	12	16	20	24	28	32	36	40
5	10	15	20	25	30	35	40	45	50
6	12	18	24	30	36	42	48	54	60
7	14	21	28	35	42	49	56	63	70
8	16	24	32	40	48	56	64	72	80
9	18	27	36	45	54	63	72	81	90
10	20	30	40	50	60	70	80	90	100



Solofra 29 Aprile 18